
3 1761 08824533 7

LAW AND POLITICAL ECONOMY.

HUNC LIBRUM

CUM ALIIS

COLLEGIO JUVENTUTIS SUAE ET JUVENTUTI COLLEGII

DONO LEGAVIT

ALFREDUS GULIELMUS STRATTON, M.A., PH.D.

HUJUS UNIVERSITATIS ET COLLEGII

IN LITTERIS GRAECIS ET LATINIS OLIM ALUMNUS,

UNIVERSITATIS JOHNS HOPKINS SCHOLARIS ET SOCIUS,

UNIVERSITATIS CHICAGO PRAELECTOR,

UNIVERSITATIS LAHORE APUD INDOS

LINGUAE SANSCRITICAE PROFESSOR ET REGISTRARIUS:

ANTE DIEM OBIIT FEBRI MELITENSI IN MONTIBUS KASHMIR

AUGUSTO MENSE A.D. 1902 TRIGINTA SEX ANNOS NATUS.

"Dulces exuviae dum fata deusque sinebant."

"Respiciebat nos antiquo flumine Gangi transito:
respexit, flumen majus magisque antiquum transiturus."

"After life's fitful fever he sleeps well."

Selfish?'

JAMES THORNTON, 33 HIGH STREET, OXFORD.

LATIN PASSAGES

FOR

UNPREPARED TRANSLATION.

PRINTED BY SPOTTISWOODE AND CO.
FOR
JAMES THORNTON, OXFORD.

London : Simpkin, Marshall, & Co.

Edinburgh : Maclachlan & Stewart.

MELETEMATA.

SELECT LATIN PASSAGES, IN PROSE AND VERSE, FOR UNPREPARED TRANSLATION.

DEPARTMENTAL
LIBRARY

ARRANGED BY THE

REV. P. J. F. GANTILLON, M.A.

SOMETIME SCHOLAR OF ST JOHN'S COLLEGE, CAMBRIDGE;
CLASSICAL MASTER IN CHELTENHAM COLLEGE.

Πόνου τοι χωρὶς οὐδὲν εὐτυχεῖ.

Oxford:
JAMES THORNTON, HIGH STREET.
1880.

PREFACE.

Among the various accomplishments that all students ought to possess is that of knowing the extent of their own intellectual powers. This little volume will, it is hoped, furnish something that may be helpful in that direction. No one ought to presume to claim any real acquaintance with the grammar, syntax, history, and antiquities of a foreign language unless able to render it into his own without any immediate preparation: the extracts now offered, nearly all of which have stood the test of frequent translation, will supply, it is believed, ample practice. The Editor has aimed at making them alike interesting and instructive, few being chosen merely for their difficulty. As it is more than likely that several have found a place in similar collections, the Editor thinks it only right to say that, with the exception of the free use of University and School Examination Papers, he has depended entirely upon his own judgment. Any corrections or suggestions, addressed as below, will be thankfully received.

The College, Cheltenham:
April 29, 1880.

CONTENTS.



ANTHOLOGIA LATINA.

AULUS GELLIUS. (125(?)–175 A.D.)

AUSONIUS. (Fl. 388 A.D.)

BASSUS (?) 117

CAESAR. (100–44 B.C.)

CATULLUS. (87–54 B.C.)

CICERO. (106–43 *B.C.*)

CLAUDIANUS. (404 *A.D.*)

FELIX, M. MINUCIUS. (236 *A.D.*)

FLORUS. (?)

FRAGMENTA.

HORATIUS. (65–8 *B.C.*)

INSCRIPTIONES. . . . 150

IUVENALIS. (46–130 (?) *A.D.*)

LIVIUS. (59 *B.C.*–17 *A.D.*)

LUCANUS. (39–65 *A.D.*)

LUCILIUS IUNIOR.

LUCRETIUS. (*Ob.* 55 *B.C.*)

MARTIALIS. (43–104 (?) *A.D.*)

NEPOS, CORNELIUS. (74 (?)–24 *B.C.*)

OVIDIUS. (43 *B.C.*—17 *A.D.*)

SENECA. (*Ob.* 65 *A.D.*)

SILIUS ITALICUS. (24–100 *A.D.*)

STATIUS. (61–98 *A.D.*)

SUETONIUS. (75–160 *A.D.*)

TACITUS. (54 (?)–118 *A.D.*)

TERENTIUS. (195–159 *B.C.*)

TIBULLUS. (65 (?)–19 *B.C.*)

VARRO. (116–28 *B.C.*)

VERGILIUS. (70–19 *B.C.*)

Errata.

Page 58, line 18, for *intuente,* read *intuenti.*

„ 76, „ 19, for *quotidianis,* read *cotidianis.*

SELECT LATIN PIECES,

PROSE AND VERSE,

FOR UNPREPARED TRANSLATION.

SELECT

LATIN PIECES, PROSE AND VERSE,

FOR UNPREPARED TRANSLATION.

CUPID DECEIVED.

1. Quid natum caedit Venus? arcum perdidit. arcum
quis rapuit? Tusco Flavia nata solo.
qui factum? petit haec, dedit hic; nam, lumine formae
deceptus, matri se dare crediderat.

Anthol. Lat. 1566.

HOW WE MUST MANAGE OUR OLD AGE.

2. Resistendum, Laeli et Scipio, senectuti est, eiusque vitia diligentia compensanda sunt: pugnandum, tamquam contra morbum, sic contra senectutem. Habenda ratio valetudinis; utendum exercitationibus modicis; tantum cibi et potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur. Nec vero corpori soli subveniendum est, sed menti atque animo multo magis; nam haec quoque, nisi tanquam lumini oleum instilles, exstinguuntur senectute. Et corpora quidem exercitatione ingravescunt; animi autem [se] exercendo levantur.—Cicero, *De Sen.* xi. 35.

FRONTI NULLA FIDES.

3. Laudatis utiliora, quae contempseris,
saepe inveniri, haec exserit narratio.
Ad fontem cervus, quom bibisset, restitit,
et in liquore vidit effigiem suam.
ibi, dum ramosa mirans laudat cornua,
crurumque nimiam tenuitatem vituperat,
venantum subito vocibus conterritus,
per campum fugere coepit, et cursu levi
canes elusit. Silva tum excepit ferum,
in qua retentis impeditus cornibus,
lacerari coepit morsibus saevis canum.
tunc moriens vocem hanc edidisse dicitur:
O me infelicem! qui nunc demum intelligo,
utilia mihi quam fuerint, quae despexeram,
et, quae laudaram, quantum luctus habuerint.

PHAEDR. i. 12.

EPITAPH ON MARCUS, A BOY OF THIRTEEN.

4. O dulcis puer, o venuste Marce,
o multi puer et meri leporis,
festivi puer ingeni, valeto!
ergo, cum virides vigens per annos
aevi ver ageres novum tenelli,
vidisti Stygias peremptus undas!
tuum maestus avus, tuum propinqui
os plenum lepida loquacitate
et risus faciles tuos requirunt.
te lusus, puer, in suos suëtos
aequales vocitant tui frequenter.

at surdus recubas trahisque somnos
cunctis denique, Marce, dormiundos.
Anth. Lat. 1597.

ANDROCLUS AND THE LION.

5. In circo olim maximo venationis amplissimae pugna populo dabatur: eius rei, Romae cum forte essem, spectator fui. multae ibi saevientes ferae, magnitudines bestiarum excellentes, omniumque inusitata aut forma erat aut ferocia, sed praeter alia omnia leonum immanitas admirationi fuit, praeterque omnes ceteros unius. is unus leo corporis impetu et magnitudine, terrificoque fremitu et sonoro, toris comisque cervicum fluctuantibus animos oculosque omnium in se convertit. introductus erat inter complures ceteros ad pugnam bestiarum datus servus viri consularis: ei servo Androclus nomen fuit. hunc ille leo ubi vidit procul, repente quasi admirans stetit, ac deinde sensim atque placide tanquam noscitabundus ad hominem accedit: tum caudam more atque ritu adulantium canum clementer et blande movet, hominisque sese corpori adiungit, cruraque eius et manus prope iam exanimati metu lingua leniter demulcet. homo Androclus inter illa tam atrocis ferae blandimenta amissum animum recuperat: paullatim oculos ad contuendum leonem refert. tum, quasi mutua recognitione facta, laetos et gratulabundos videres hominem ac leonem. ea re prōrsus tum admirabili maximi circumspectantium clamores excitati. arcessitum Androclem rogat Caesar causam cur ille atrocissimus leonum uni pepercisset.—Aul. Gell. v. 14.

PASSAGE OF THE RUBICON.

Jan. 15, B.C. 49.

6. Fonte cadit modico parvisque impellitur undis
puniceus Rubicon cum fervida canduit aestas:
perque imas serpit valles et Gallica certus
limes ab Ausoniis disterminat arva colonis.
tum vires praebebat hiemps atque auxerat undas
tertia iam gravido pluvialis Cynthia cornu,
et madidis Euri resolutae flatibus Alpes.
primus in obliquum sonipes opponitur amnem
excepturus aquas: molli tum cetera rumpit
turba vado faciles iam fracti fluminis undas.
Caesar, ut adversam superato gurgite ripam
attigit Hesperiae vetitis et constitit arvis,
'Hic, ait, hic pacem temerataque iura relinquo:
te, Fortuna, sequor.' LUCAN, i. 213.

DULCE ET DECORUM EST PRO PATRIA MORI.

7. Non ego iam Epaminondae, non Leonidae mortem huius morti antepono! quorum alter cum vicisset Lacedaemonios apud Mantineam, atque ipse gravi vulnere exanimare se videret; ut primum dispexit, quaesivit, salvusne esset clipeus? Cum salvum esse flentes sui respondissent: rogavit, essentne fusi hostes? Cumque id quoque, ut cupiebat, audivisset, evelli iussit eam, qua erat transfixus, hastam. Ita multo sanguine profuso, in laetitia et in victoria est mortuus. Leonidas autem, rex Lacedaemoniorum, se in Thermopylis trecentosque eos, quos eduxerat Sparta, quom esset proposita aut fuga turpis aut gloriosa mors,

opposuit hostibus. Praeclarae mortes sunt imperatoriae. Philosophi autem in suis lectulis plerumque moriuntur.—Cicero, *De Fin.* ii. 30. 97.

*FACE *CISSEIS PRAEGNANS.*

8. Mater gravida parere se ardentem facem
visa est in somnis *Hecuba: quo fato pater
rex ipse Priamus somnio, mentis metu
perculsus, curis sumptus suspirantibus,
exsacrificabat hostiis balantibus.
tum coniecturam postulat pacem petens,
ut se edoceret obsecrans Apollinem,
quo sese vertant tantae sortes somnium.
ibi ex oraclo voce divina edidit
Apollo, puerum primus Priamo qui foret
post illa natus, temperaret tollere:
eum esse exitium Troiae, pestem Pergamo.

Fragm. Trag.

τίς οἶδεν εἰ τὸ κατθανεῖν ζῆν;

9. Equidem non video, cur, quid ipse sentiam de morte, non audeam vobis dicere: quod eo melius mihi cernere videor, quo ab ea propius absum. Ego vestros patres, P. Scipio, tuque, C. Laeli, viros clarissimos mihique amicissimos, vivere arbitror, et eam quidem vitam, quae est sola vita nominanda. Nam, dum sumus in his inclusi compagibus corporis, munere quodam necessitatis et gravi opere perfungimur: est enim animus caelestis ex altissimo domicilio depressus et quasi demersus in terram,

locum divinae naturae aeternitatique contrarium. Sed credo Deos immortales sparsisse animos in corpora humana, ut essent, qui terras tuerentur, quique, caelestium ordinem contemplantes, imitarentur eum vitae modo atque constantia. Nec me solum ratio ac disputatio impulit, ut ita crederem, sed nobilitas etiam summorum philosophorum et auctoritas.—Cicero, *De Sen.* xxi. 77.

ADDRESS TO THE NILE.

10. Nile pater, quanam possim te dicere causa,
aut quibus in terris occuluisse caput?
te propter nullos tellus tua postulat imbres,
arida nec pluvio supplicat herba Iovi.
te canit, atque suum pubes miratur Osirim
barbara, Memphiten [1] plangere docta bovem.
primus aratra manu sollerti fecit Osiris,
et teneram ferro sollicitavit humum:
primus inexpertae commisit semina terrae,
pomaque non notis legit ab arboribus:
hic docuit teneram palis adiungere vitem,
hic viridem dura caedere falce comam.
illi iucundos primum matura sapores
expressa incultis uva dedit pedibus.
ille liquor docuit voces inflectere cantu,
movit et ad certos nescia membra modos:
Bacchus et agricolae magno confecta labore
pectora tristitiae dissoluenda dedit:
Bacchus et adflictis requiem mortalibus affert,
crura licet dura compede pulsa sonent.

[1] Cf. Hdt. iii. 28.

non tibi sunt tristes curae, nec luctus, Osiri,
sed chorus et cantus et levis aptus amor,
sed varii flores et frons redimita corymbis,
fusa sed ad teneros lutea palla pedes.

Tibull. i. 7. 23.

STORY OF ANDROCLUS (continued).

11. Tum vero Androclus rem mirificam narrat atque admirandam. Cum provinciam, inquit, Africam proconsulari imperio meus dominus obtineret, ego ibi iniquis eius et cotidianis verberibus ad fugam sum coactus, et, ut mihi a domino terrae illius praeside tutiores latebrae forent, in camporum et harenarum solitudines concessi; ac, si defuisset cibus, consilium fuit mortem aliquo pacto oppetere. tum sole, inquit, medio rapido et flagrante, specum quandam nactus remotam latebrosamque, in eam me penetro et recondo. neque multo post ad eandem specum venit hic leo, debili uno et cruento pede, gemitus edens et murmura dolorem cruciatumque volneris commiserantia: atque illic primo quidem conspectu advenientis leonis territus mihi et pavefactus animus. sed postquam introgressus leo, uti re ipsa apparuit, in habitaculum illud suum vidit me procul delitescentem, mitus et mansuetus accessit, ac sublatum pedem ostendere ac porrigere, quasi opis petendae gratia, visus est. ibi ego stirpem ingentem vestigio pedis eius haerentem revelli, conceptamque saniem volnere intimo exhausi, accuratiusque, sine magna iam formidine, siccavi penitus atque detersi cruorem. ille tunc mea opera et medela levatus, pede in manibus

meis posito recubuit et quievit, atque ex eo die triennium totum ego et leo in eadem specu eodemque victu viximus. quas ille venabatur feras, membra opimiora ad specum mihi suggerebat, quae ego, ignis copiam non habens, sole meridiano tosta edebam. ubi me vitae illius ferinae iam pertaesum est, leone in venatum profecto reliqui specum, et, viam ferme tridui permensus, a militibus visus apprehensusque sum, et ad dominum ex Africa Romam deductus. is me statim rei capitalis damnandum, dandumque ad bestias curavit. intelligo autem, inquit, hunc quoque leonem captum gratiam mihi nunc etiam beneficii et medicinae referre! Ea omnia scripta circumlataque tabella populo declarat; atque ideo, cunctis petentibus, dimissus Androclus et poena solutus: leo ei suffragiis populi donatus. postea autem Androclus, et leo, loro tenui revinctus, urbe tota circum tabernas ibat: donabatur aere Androclus, floribus spargebatur leo. omnes fere ubique obvii dicebant *Hic est leo hospes hominis, hic est homo medicus leonis.*—Aul. Gell. v. 14.

ACUTENESS OF THEMISTOCLES.

12. At Xerxes, Thermopylis expugnatis, protinus accessit astu, idque, nullis defendentibus, interfectis sacerdotibus quos in arce invenerat, incendio delevit. Cuius fama perterriti classiarii quom manere non auderent, et plurimi hortarentur ut domos suas quisque discederent moenibusque se defenderent, Themistocles unus restitit, et universos pares esse posse aiebat, dispersos testabatur perituros, idque Eurybiadi, regi

Lacedaemoniorum, qui tum summae imperii praeerat, fore affirmabat. Quem quom minus, quam vellet, moveret, noctu de servis suis, quem habuit fidelissimum, ad regem misit, ut ei nuntiaret suis verbis adversarios ejus in fuga esse; qui si discessissent maiore cum labore et longinquiore tempore bellum confecturum, quom singulos consectari cogeretur: quos si statim aggrederetur, brevi universos oppressurum. Hoc eo valebat, ut ingratiis ad depugnandum omnes cogerentur. Hac re audita barbarus, nihil doli subesse credens, postridie alienissimo sibi loco contra opportunissimo hostibus, adeo angusto mari conflixit, ut eius multitudo navium explicari non potuerit. Victus ergo est magis consilio Themistoclis quam armis Graeciae.—Corn. Nep. *Them.* iv.

SOLILOQUY OF MEDEA.[1] *SHE TRIES TO STIFLE HER LOVE FOR JASON.*

13. Concipit interea validos Aeetias[1] ignes:
et luctata diu, postquam ratione furorem
vincere non poterat, 'Frustra, Medea, repugnas:
nescio quis deus obstat,' ait: 'mirumque, nisi hoc est,
aut aliquid certe simile huic, quod amare vocatur.
nam cur iussa patris nimium mihi dura videntur?
sunt quoque dura nimis. Cur, quem modo denique vidi,
ne pereat, timeo? quae tanti causa timoris?
excute virgineo conceptas pectore flammas,
si potes, infelix. si possem, sanior essem.
sed gravat invitam nova vis: aliudque cupido,

[1] Aeetis filia.

mens aliud suadet : video meliora, proboque :
deteriora sequor. . . . .
haec quoque terra potest, quod ames, dare. Vivat, an ille
occidat, in dis est. Vivat tamen : idque precari
vel sine amore licet : certe mea pectora movit.

Ovid, *Met.* vii. 9.

LOVE'S GIFTS ARE SWEETEST.

14. Lux mea puniceum misit mihi Lesbia malum ;
iam sordent animo cetera poma meo.
sordent velleribus hirsuta cydonia canis,
sordent hirsutae munera castaneae.
nolo nuces, Amarylli, tuas, nec cerea pruna ;
rusticus haec Corydon munera magna putet :
horreo sanguineo male mora rubentia suco ;
heu grave funesti crimen amoris habent !
misit dente levi paullum libata placentae
munera, de labris dulcia mella suis

Anthol. Lat. 257.

VARIOUS ROMAN WARS.

15. Creticum bellum, si vera volumus, nos fecimus, sola vincendi nobilem insulam cupiditate. Favisse Mithridati videbatur ; hoc placuit armis vindicare. Primus invasit insulam M. Antonius cum ingenti quidem victoriae spe atque fiducia, adeo ut plures catenas in navibus quam arma portaret. Dedit itaque poenas vecordiae : nam plerasque naves intercepere hostes, captivaque corpora religantes velis ac funibus, pependere ; ac sic velificantes triumphan-

tum in modum Cretes portibus suis adremigaverunt. Metellus deinde totam insulam igni ferroque populatus, intra castella et urbes redegit, et Gnoson et Erythraeam, et, ut Graeci dicere solent, urbium matrem, Cydonaeam: adeoque saeve in captivos consulebatur, ut veneno se plerique conficerent, alii deditionem suam ad Pompeium absentem mitterent.

Florus, iii. 7.

A QUIET NOOK.

16. Est in secessu longo locus: insula portum
efficit obiectu laterum, quibus omnis ab alto
frangitur inque sinus scindit sese unda reductos.
hinc atque hinc vastae rupes geminique minantur
in caelum scopuli, quorum sub vertice late
aequora tuta silent; tum silvis scaena coruscis
desuper horrentique atrum nemus imminet umbra.
fronte sub adversa scopulis pendentibus antrum;
intus aquae dulces vivoque sedilia saxo,
nympharum domus: hic fessas non vincula naves
ulla tenent, unco non alligat anchora morsu.
huc septem Aeneas collectis navibus omni
e numero subit, ac, magno telluris amore,
egressi optata potiuntur Troes harena,
et sale tabentes artus in litore ponunt.
ac primum silici scintillam excudit Achates,
suscepitque ignem foliis atque arida circum
nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam.
tum Cererem corruptam undis Cerealiaque arma
expediunt fessi rerum, frugesque receptas
et torrere parant flammis et frangere saxo.

Verg. *Aen.* i. 159.

SERMO ISAEO TORRENTIOR.—CICERO INVEIGHS AGAINST CATILINA.

17. Quanquam quid loquor? te ut ulla res frangat? tu ut unquam te corrigas? te ut ullam fugam meditere? tu ut ullum exsilium cogites? utinam tibi istam mentem di immortales duint! tametsi video si mea voce perterritus ire in exsilium animum induxeris, quanta tempestas invidiae nobis, si minus in praesens tempus, recenti memoria scelerum tuorum, at in posteritatem impendeat. Sed est mihi tanti; dummodo ista privata sit calamitas et a reipublicae periculis seiungatur. Sed tu ut vitiis tuis commoveare, ut legum poenas pertimescas, ut temporibus reipublicae cedas, non est postulandum: neque enim is es, Catilina, ut te aut pudor unquam a turpitudine, aut metus a periculo, aut ratio a furore revocarit. Quamobrem, ut saepe iam dixi, proficiscere, ac, si mihi inimico, ut praedicas, tuo, conflare vis invidiam, recta perge in exilium. Vix feram sermones eorum si id feceris: vix molem istius invidiae, si in exilium ieris iussu consulis, sustinebo. Sin autem servire meae laudi et gloriae mavis, egredere cum importuna sceleratorum manu: confer te ad Mallium: concita perditos cives: secerne te a bonis: infer patriae bellum; exsulta impio latrocinio, ut a me non eiectus ad alienos, sed invitatus ad tuos esse videaris. Quanquam quid ego te invitem, a quo iam sciam esse praemissos qui tibi ad forum Aurelium praestolarentur armati? cui sciam pactam esse et constitutam cum Mallio diem? a quo etiam aquilam illam argenteam, quam tibi ac tuis omnibus perniciosam esse confido et

funestam futuram, cui domi tuae sacrarium scelerum tuorum constitutum fuit, sciam esse praemissam? Tu ut illa diutius carere possis quam venerari ad caedem proficiscens solebas, a cuius altaribus saepe istam impiam dextram ad necem civium transtulisti?

CICERO, *in Catil.* i. 9. 22.

THE DEATH OF LAOCOON AND HIS SONS.

18. Laocoön, ductus Neptuno sorte sacerdos,
sollemnes taurum ingentem mactabat ad aras.
ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta,—
horresco referens—immensis orbibus angues
incumbunt pelago pariterque ad litora tendunt,
pectora quorum inter fluctus arrecta iubaeque
sanguineae exsuperant undas, pars cetera pontum
pone legit, sinuatque immensa volumine terga.
fit sonitus spumante salo: iamque arva tenebant,
ardentesque oculos suffecti sanguine et igni
sibila lambebant linguis vibrantibus ora:
diffugimus visu exsangues: illi agmine certo
Laocoönta petunt: et primum parva duorum
corpora natorum serpens amplexus uterque
implicat et miseros morsu depascitur artus;
post ipsum, auxilio subeuntem et tela ferentem,
corripiunt, spirisque ligant ingentibus: et iam
bis medium amplexi, bis collo squamea circum
terga dati superant capite et cervicibus altis.
ille simul manibus tendit divellere nodos
perfusus sanie vittas atroque veneno;
clamores simul horrendos ad litora tollit,
quales mugitus fugit quom saucius aram
taurus, et incertam excussit cervice securim.

VERG. *Aen.* ii. 201.

CHARACTER OF CIMON.

19. Hunc Athenienses non solum in bello, sed in pace diu desideraverunt. Fuit enim tanta liberalitate, quom compluribus locis praedia hortosque haberet, ut numquam in eis custodem imposuerit fructus servandi gratia, ne quis impediretur, quo minus eius rebus, quibus quisque vellet, frueretur. Semper eum pedisequi cum nummis sunt secuti, ut, si quis opis eius indigeret, haberet quod statim daret, ne differendo videretur negare. Saepe quom aliquem offensum fortuna videret minus bene vestitum, suum amiculum dedit. Cotidie sic cena ei coquebatur, ut, quos invocatos vidisset in foro, omnes devocaret ; quod facere nullum diem praetermittebat. Nulli fides eius, nulli opera, nulli res familiaris defuit ; multos locupletavit ; complures pauperes mortuos, qui, unde efferrentur, non reliquissent, suo sumtu extulit. Sic se gerendo minime est mirandum, si et vita eius fuit secura, et mors acerba.

Corn. Nep. *Cimon*, iv.

NEVER GIVE YOUR FOES A HANDLE.

20. (*a*) Pereunt suis auxilium qui dant hostibus.
Facta bipenni quidam ex arboribus petit
manubrium ut darent e ligno, quod foret
firmum : iusserunt omnes oleastrum dari.
accepit munus, aptans et manubrium
coepit securi magna excidere robora.
dumque eligebat quae vellet, sic fraxino
dixisse fertur quercus : Merito caedimur.

Phaedr. (?).

(*b*) Accepi tuas literas, quas legi libentissime, plenissimas amoris, humanitatis, officii, diligentiae. His igitur respondebo: sic enim postulas. Recentissimas te meas literas habere ais, et scire vis tuas ego quas acceperim. Quaedam ab Appio constituta rescidi. Stomachatur ille. Hoc idem est ac si medicus, cum aegrotus alii medico traditus sit, irasci velit ei medico, qui sibi successerit, si, quae ipse in curando constituerit, mutet ille.

CICERO, *Epist.*

DEBUERAS ABSTINUISSE, CAPER.

(*c*) Vite nocens rosa stabat moriturus ad aras
hircus, Bacche, tuis victima grata sacris.

MARTIAL, iii. 24.

FOENUM HABET IN CORNU.—DEVICE OF HANNIBAL.

21. Primis tenebris silentio mota castra; boves aliquanto ante signa acti. ubi ad radices montium viasque angustas ventum est, signum extemplo datur, ut accensis cornibus armenta in adversos concitentur montes. et metus ipse relucentis flammae ex capite, calorque, iam ad vivum ad imaque cornuum adveniens, velut stimulatos furore agebat boves. quo repente discursu, haud secus quam silvis montibusque accensis, omnia circum virgulta ardere: capitumque irrita quassatio, excitans flammam, hominum passim discurrentium speciem praebebat. qui ad transitum saltus insidendum locati erant, ubi

in summis montibus ac super se quosdam ignes conspexerunt, circumventos se esse rati, praesidio excessere; qua minime densae micabant flammae, velut tutissimum iter petentes summa montium iuga, tamen in quosdam boves palatos ab suis gregibus inciderunt. et primo, quom procul cernerent, veluti flammas spirantium miraculo adtoniti constiterunt: deinde, ut humana adparuit fraus, tum vero insidias rati esse, dum maiore metu concitant se in fugam, levi quoque armaturae hostium incurrere. ceterum nox aequato timore neutros pugnam incipientes ad lucem tenuit. interea, toto agmine Hannibal transducto per saltum, et quibusdam in ipso saltu hostium oppressis, in agro Allifano posuit castra.—Liv. xxii. 17.

SCYLLA AND NISUS.

22. Talia dicenti curarum maxima nutrix
nox intervenit, tenebrisque audacia crevit.
prima quies aderat, qua curis fessa diurnis
pectora somnus habet. Thalamos taciturna paternos
intrat, et, heu facinus! vitali nata parentem
crine suum spoliat, praedaque potita nefanda
per medios hostes,—meriti fiducia tanta est,—
pervenit ad regem,[1] quem sic affata paventem est:
'suasit amor facinus. Proles ego regia Nisi
Scylla tibi trado patriosque meosque penates:

[1] Minos.

praemia nulla peto nisi te. Cape pignus amoris
purpureum crinem : nec me nunc tradere crinem
sed patrium tibi crede caput,' scelerataque dextra
munera porrexit. Minos porrecta refugit,
turbatusque novi respondit imagine facti:
'Di te summoveant, o nostri infamia saecli,
orbe suo, tellusque tibi pontusque negetur.'

OVID, *Met.* viii. 81.

MOVEMENTS OF M. TER. VARRO IN SPAIN. B.C. 49.

23. Hoc vero magis properare Varro, ut cum legionibus quam primum Gadis contenderet, ne itinere aut traiectu intercluderetur : tanta ac tam secunda in Caesarem voluntas provinciae reperiebatur. Progresso ei paulo longius litterae Gadibus redduntur, simulatque sit cognitum de edicto Caesaris, consensisse Gaditanos principes cum tribunis cohortium, quae essent ibi in praesidio, ut Gallonium ex oppido expellerent, urbem insulamque Caesari servarent. Hoc inito consilio denuntiavisse Gallonio, ut sponte sua, dum sine periculo liceret, excederet Gadibus; si id non fecisset, sibi consilium capturos. Hoc timore adductum Gallonium Gadibus excessisse. His cognitis rebus altera ex duabus legionibus, quae Vernacula appellabatur, ex castris Varronis, adstante et inspectante ipso, signa sustulit seseque Hispalim recepit, atque in foro et porticibus sine maleficio consedit. Quod factum adeo eius conventus cives Romani comprobaverunt, ut domum ad se quisque hospitio cupidissime reciperet. Quibus rebus perterritus Varro, cum iti-

nere converso sese Italicam venturum praemisisset, certior ab suis factus est praeclusas esse portas. Tum vero omni interclusus itinere ad Caesarem mittit, paratum se esse legionem, cui iusserit, tradere. Ille ad eum Sextum Caesarem mittit atque huic tradi iubet. Tradita legione Varro Cordubam ad Caesarem venit; relatis ad eum publicis cum fide rationibus quod penes eum est pecuniae tradit et quid ubique habeat frumenti et navium ostendit.—Caesar, *B. C.* ii. 20.

SAEVIT VIOLENTIA TURNI.

24. Turnus ut Aenean cedentem ex agmine vidit,
turbatosque duces, subita spe fervidus ardet;
poscit equos atque arma simul, saltuque superbus
emicat in currum, et manibus molitur habenas.
multa virum volitans dat fortia corpora leto:
semineces volvit multos, aut agmina curru
proterit, aut raptas fugientibus ingerit hastas.
qualis apud gelidi cum flumina concitus Hebri
sanguineus Mavors clipeo increpat, atque furentes
bella movens immittit equos: illi aequore aperto
ante Notos Zephyrumque volant: gemit ultima pulsu
Thraca pedum, circumque atrae Formidinis ora,
Iraeque, Insidiaeque, dei comitatus, aguntur.
talis equos alacer media inter praelia Turnus
fumantes sudore quatit, miserabile caesis
hostibus insultans: spargit rapida ungula rores
sanguineos, mixtaque cruor calcatur harena.

Verg. *Aen.* xii. 324.

DIDO AENEAE.

25. (*a*) Quo fugis? obstat hiemps! hiemis mihi gratia prosit.
aspice ut eversas concitet Eurus aquas.
quod tibi malueram, sine me debere procellis:
iustior est animo ventus et unda tuo.
non ego sum tanti, quamvis merearis, inique,
ut pereas, dum me per freta longa fugis.
exerces pretiosa odia et constantia magno,
si, dum me careas, est tibi vile mori.
quid, si nescires insana quid aequora possint?
expertae totiens quam male credis aquae!
ut pelago suadente etiam retinacula solvas,
multa tamen latus tristia pontus habet.
vive, precor: sic te melius quam funere perdam!
tu potius leti causa ferere mei.

Ovid, *Heroid.* vii. 41.

CICERO CURIO S. D.

(*b*) Ego vero iam te nec hortor nec rogo ut domum redeas; quin hinc ipse evolare cupio et aliquo pervenire 'ubi nec Pelopidarum nomen nec facta audiam.' Incredibile est quam turpiter mihi facere videar, qui his rebus intersim. Ne tu videris multo ante providisse quid impenderet, tum cum hinc profugisti. Quamquam haec etiam auditu acerba sunt, tamen audire tolerabilius est quam videre. Consul nuper renuntiatus est Caninius, qui usque ad Kal. Ian. esset, quae erant futurae mane postridie. ita illo consule scito neminem prandisse. Nihil tamen eo

consule mali factum est; fuit enim mirifica vigilantia qui suo toto consulatu somnum non viderit.

CICERO, *ad Fam.* vii. 30.

ANIMALS IN THE SILVA HERCYNIA.

26. Est bos cervi figura, cuius a media fronte inter aures unum cornu existit excelsius magisque directum his, quae nobis nota sunt, cornibus: ab eius summo sicut palmae ramique late diffunduntur. Eadem est feminae marisque natura, eadem forma magnitudoque cornuum. sunt item quae appellantur alces. Harum est consimilis capris figura et varietas pellium, sed magnitudine paulo antecedunt mutilaeque sunt cornibus et crura sine nodis articulisque habent neque quietis causa procumbunt, neque, si quo adflictae casu conciderunt, erigere sese aut sublevare possunt. Tertium est genus eorum, qui uri appellantur. Hi sunt magnitudine paulo infra elephantos, specie et colore et figura tauri. Magna vis eorum est et magna velocitas, neque homini neque ferae, quam conspexerunt, parcunt.—CAES. *B. G.* vi. 26.

PERORATION.

27. Quae cum ita sint, C. Manili, primum istam et legem et voluntatem et sententiam laudo vehementissimeque comprobo: deinde te hortor, ut, auctore populo Romano, maneas in sententia, neve cuiusquam vim aut minas pertimescas. Primum in te satis esse animi perseverantiaeque arbitror: deinde cum tantam multitudinem cum tanto studio adesse videamus, quid

est, quod aut de re, aut de perficiendi facultate dubitemus? Ego autem, quidquid in me est studii, laboris, ingenii, quidquid hac potestate praetoria possum, id omne ad hanc rem conficiendam tibi et populo Romano polliceor ac defero: testorque omnes deos, et eos maxime, qui huic loco temploque praesident, me hoc neque rogatu facere cuiusquam, neque quo mihi aut praesidia periculis, aut adiumenta honoribus quaeram.

CICERO, *de Imp. Gn. Pompei*, xxiv. 69.

LAST EFFORT OF TURNUS.

28. Nec plura effatus, saxum circumspicit ingens,
saxum antiquum, ingens, campo quod forte iacebat,
limes agro positus, litem ut discerneret arvis.
vix illud lecti bis sex cervice subirent,
qualia nunc hominum producit corpora tellus;
ille manu raptum trepida torquebat in hostem,
altior insurgens et cursu concitus heros.
sed neque currentem se nec cognoscit euntem,
tollentemve manu saxumque immane moventem;
genua labant, gelidus concrevit frigore sanguis.
tum lapis ipse viri, vacuum per inane volutus,
nec spatium evasit totum, neque pertulit ictum.
ac velut in somnis, oculos ubi languida pressit
nocte quies, nequidquam avidos extendere cursus
velle videmur, et in mediis conatibus aegri
succidimus; non lingua valet, non corpore notae
sufficiunt vires, nec vox aut verba sequuntur:
sic Turno, quacumque viam virtute petivit,
successum dea dira negat. VERG. *Aen.* xii. 896.

ANSWER TO REQUEST OF ATTALUS I., B.C. 198.

29. Attali deinde regis legatos in senatum consules introduxerunt: hi regem classe sua copiisque omnibus terra marique rem Romanam iuvare, quaeque imperarent Romani consules impigre atque obedienter ad eam diem fecisse cum exposuissent, vereri dixerunt, ne id praestare ei per Antiochum regem ultra non liceret: vacuum namque praesidiis navalibus terrestribusque regnum Attali Antiochum invasisse. Itaque Attalum orare patres conscriptos, si sua classe suaque opera uti ad Macedonicum bellum vellent, mitterent ipsi praesidium ad regnum eius tutandum: si id nollent, ipsum ad sua defendenda cum classe ac reliquis copiis redire paterentur. Senatus legatis ita responderi iussit: quod rex Attalus classe copiisque aliis duces Romanos iuvisset, id gratum senatui esse: auxilia nec ipsos missuros Attalo adversus Antiochum, socium et amicum populi Romani, nec Attali auxilia retenturos ultra quam regi commodum esset. Semper populum Romanum alienis rebus arbitrio alieno usum: et principium et finem in potestate ipsorum, qui ope sua velint adiutos Romanos, esse.—LIV. xxxii. 8.

OVID TO SEXTUS POMPEIUS, CONSUL B.C. 35.

30. Ite, leves elegi, doctas ad consulis aures;
verbaque honorato ferte legenda viro.
luce minus decima dominam venietis in Urbem,
ut festinatum non faciatis iter.

si quis, ut in populo, qui sitis, et unde requiret;
nomina decepta quaelibet aure ferat.
ut sit enim tutum, sicut reor esse, fateri;
verba minus certe ficta timoris habent.
copia nec vobis ullo prohibente videndi
consulis, ut limen contigeritis, erit.
aut reget ille suos, dicendo iura, Quirites,
conspicuum signis quom premet altus ebur;
aut, populi reditus positam componet ad hastam,
et minui magnae non sinet Urbis opes.
aut feret Augusto solitam natoque salutem.
deque parum noto consulet officio.

Ovid, *ex P.* iv. 5.

RECOGNITION OF ROMULUS AND REMUS BY NUMITOR.

31. Numitor inter primum tumultum hostes invasisse urbem atque adortos regiam dictitans, cum pubem Albanam in arcem praesidio armisque obtinendam avocasset, postquam iuvenes perpetrata caede pergere ad se gratulantes vidit, extemplo advocato concilio scelus in se fratris, originem nepotum, ut geniti, ut educati, ut cogniti essent, caedem deinceps tyranni seque eius auctorem ostendit. iuvenes per mediam contionem agmine ingressi cum avum regem salutassent, secuta ex omni multitudine consentiens vox ratum nomen imperiumque regi efficit. ita Numitori Albana re permissa Romulum Remumque cupido cepit in iis locis, ubi expositi ubique educati erant, urbis condendae. et supererat multitudo Albanorum Latin-

orumque; ad id pastores quoque accesserant, qui omnes facile spem facerent parvam Albam, parvum Lavinium prae ea urbe quae conderetur fore. intervenit deinde his cogitationibus avitum malum, regni cupido, atque inde foedum certamen coortum a satis miti principio. quoniam gemini essent, nec aetatis verecundia discrimen facere posset, ut dii, quorum tutelae ea loca essent, auguriis legerent, qui nomen novae urbi daret, qui conditam imperio regeret, Palatium Romulus, Remus Aventinum ad inaugurandum templa capiunt.—Liv. i. 6.

EPITAPH ON THE HEROES OF THERMOPYLAE.

32. Dic, hospes, Spartae, nos te hic vidisse iacentes,
dum sanctis patriae legibus obsequimur.

M. T. Cicero.

ON P. TERENTIUS AFER.[1]

33. Tu quoque, tu in summis, o dimidiate Menander,
poneris, et merito, puri sermonis amator,
lenibus atque utinam scriptis coniuncta foret vis,
comica ut aequato virtus polleret honore
cum Graecis, neque in hac despectus parte iaceres!
unum hoc maceror, et doleo tibi deesse, Terenti.

G. Iul. Caesar.

[1] See Crutwell's *Rom. Lit.* ch. iv.

FLEXIT AMANS OCULOS.

34. Iamque pedem referens casus evaserat omnes,
redditaque Eurydice superas veniebat ad auras,
pone sequens; namque hanc dederat Proserpina legem;
quom subita incautum dementia cepit amantem,
ignoscenda quidem, scirent si ignoscere manes;
restitit, Eurydicenque suam jam luce sub ipsa
immemor heu! victusque animi respexit. Ibi omnis
effusus labor, atque immitis rupta tyranni
foedera, terque fragor stagnis auditus Avernis.
illa, 'Quis et me,' inquit, 'miseram, et te perdidit, Orpheu?
quis tantus furor? en iterum crudelia retro
fata vocant, conditque natantia lumina somnus.
iamque vale: feror ingenti circumdata nocte,
invalidasque tibi tendens, heu non tua, palmas!'
Dixit, et ex oculis subito, ceu fumus in auras
commixtus tenues, fugit diversa; neque illum,
prensantem nequidquam umbras, et multa volentem
dicere, praeterea vidit; nec portitor Orci
amplius obiectam passus transire paludem.

[1] VERG. *G.* iv. 485.

IRRITAMENTA MALORUM.

35. Est autem maritimis urbibus etiam quaedam corruptela ac demutatio morum: admiscentur enim novis sermonibus ac disciplinis, et importantur non

[1] Cf. Ov. *M.* x. *init.*

merces solum adventitiae, sed etiam mores, ut nihil possit in patriis institutis manere integrum. Iam qui incolunt eas urbes, non haerent in sedibus suis, sed volucri semper spe et cogitatione rapiuntur a domo longius: atque etiam quom manent corpore, animo tamen excurrunt et vagantur. Nec vero ulla res magis labefactatam diu et Carthaginem et Corinthum pervertit aliquando, quam hic error ac dissipatio civium, quod mercandi cupiditate et navigandi et agrorum et armorum cultum reliquerant. Multa etiam ad luxuriam invitamenta perniciosa civitatibus suppeditantur mari; quae vel capiuntur vel importantur; atque habet etiam amoenitas ipsa vel sumptuosas vel desidiosas illecebras multas cupiditatum.—Cicero, *de Rep.* ii. 4.

ROMANI, RERUM DOMINI.

36. Gens quae cremato fortis ab Ilio
iactata Tuscis aequoribus, sacra
natosque maturosque patres
pertulit Ausonias ad urbes,

duris ut ilex tonsa bipennibus
nigrae feraci frondis in Algido,
per damna, per caedes ab ipso
ducit opes animumque ferro.

Hor. *C.* iv. 4.

οὐχ ἔχε νήδυμος ὕπνος.

37. Crimine quo merui iuvenis, placidisse divom,
quove errore miser, donis ut solus egerem,
Somne, tuis? tacet omne pecus volucresque feraeque,

et simulant fessos curvata cacumina somnos,
nec trucibus fluviis idem sonus: occidit horror
aequoris, et terris maria acclinata quiescunt.
septima iam redeuns Phoebe mihi respicit aegras
stare genas; totidem Oetaeae Paphiaeque revisunt
lampades, et totiens nostros Tithonia questus
praeterit, et gelido tangit miserata flagello.
unde ego sufficiam? non si mihi lumina mille
quae sacer alterna tantum statione tenebat
Argus, et haut unquam vigilabat corpore toto.
Somne, veni: nec te totas infundere pennas
luminibus compello meis,—hoc turba precatur
laetior—extremo me tange cacumine virgae,—
sufficit—aut leviter suspenso poplite transi.

STATIUS, *Silv.* v. 4.

DREADFUL BLOW TO CICERO'S VANITY.

38. Non vereor ne mihi aliquid, iudices, videar arrogasse, si de Quaestura mea dixero. Quamvis enim illa floruerit, tamen cum me postea fuisse in maximis imperiis arbitror ut non ita multum sit ex Quaesturae laude repetendum, sed tamen non vereor ne quis audeat dicere ullius in Sicilia Quaesturam aut gratiorem aut clariorem fuisse. Vere mehercules hoc dicam: sic tum existimabam nihil homines aliud Romae nisi de Quaestura mea loqui. Frumenti in summa caritate maximum numerum miseram: negotiatoribus comis, mercatoribus iustus, municipibus liberalis, sociis abstinens, omnibus eram visus in

omni officio diligentissimus. Excogitati quidem erant a Siculis honores inauditi: itaque hac spe decedebam ut mihi populum Romanum ultro omnia delaturum putarem. At ego, cum casu diebus iis, itineris faciendi causa, decedens e provincia, Puteolos forte venissem, cum plurimi et lautissimi solent esse in iis locis, concidi paene, iudices, cum ex me quidam quaesisset quo die Roma exissem, et numquidnam esset novi. Cui cum respondissem me a provincia decedere, 'Etiam mehercules,' inquit, 'ut opinor, ex Africa.' Huic ego iam stomachans fastidiose, 'Immo ex Sicilia,' inquam. Tum quidam, quasi qui omnia sciret, 'Quid? tu nescis,' inquit, 'hunc Syracusis Quaestorem fuisse?' Quid multa? destiti stomachari, et me unum ex iis feci qui ad aquas venissent. Sed ea res, iudices, haud scio an plus mihi profuerit quam si mihi tum essent omnes gratulati.

CICERO, *pro Plancio,* xxvi. 64.

PERORATION OF LAELIUS ON FRIENDSHIP.

39. Sed, quoniam res humanae fragiles caducaeque sunt, semper aliqui anquirendi sunt quos diligamus et a quibus diligamur. Caritate enim benevolentiaque sublata, omnis est e vita sublata iucunditas. Equidem ex omnibus rebus, quas mihi aut fortuna aut natura tribuit, nihil habeo quod cum amicitia Scipionis possim comparare. In hac mihi de republica consensus, in hac rerum privatarum consilium; in eadem requies plena oblectationis fuit. Nunquam illum ne minima quidem re offendi, quod quidem senserim; nihil audivi ex ipso quod nollem. Una domus

erat, idem victus, isque communis: neque solum militia, sed etiam peregrinationes rusticationesque communes. Nam quid ego de studiis dicam cognoscendi semper aliquid atque discendi, in quibus remoti ab oculis populi omne otiosum tempus contrivimus. Quarum rerum recordatio et memoria, si una cum illo occidisset, desiderium coniunctissimi atque amantissimi viri ferre nullo modo possem. Sed nec illa extincta sunt, aluntur que potius et augentur cogitatione et memoria; et, si illis plane orbatus essem, magnum tamen afferret mihi aetas ipsa solatium; diutius enim iam in hoc desiderio esse non possum: omnia autem brevia tolerabilia esse debent, etiam si magna sunt. Haec habui de amicitia quae dicerem.

CICERO, *de Am.* xxvii. 102.

A GOOD MEMORY: ANECDOTE OF SIMONIDES OF KEOS.

40. Non sum, inquit Antonius, tanto ego ingenio quanto Themistocles fuit, ut oblivionis artem quam memoriae malim: gratiamque habeo Simonidi illi Keo, quem primum ferunt artem memoriae protulisse. Dicunt enim, cum cenaret Crannone in Thessalia Simonides apud Scopam, fortunatum hominem et nobilem, cecinissetque id carmen, quod in eum scripsisset, in quo multa ornandi caussa, poetarum more, in Castorem scripta et Pollucem fuissent, nimis illum sordide Simonidi dixisse, se dimidium eius ei, quod pactus esset, pro illo carmine daturum; reliquum a suis Tyndaridis, quos aeque laudasset, peteret, si ei videretur. Paulo post esse ferunt nuntiatum Simonidi, ut prod-

iret: iuvenes stare ad ianuam duos quosdam, qui eum magnopere evocarent: surrexisse illum, prodisse, vidisse neminem: hoc interim spatio conclave illud, ubi epularetur Scopas, concidisse: ea ruina ipsum oppressum cum suis interiisse. Quos cum humare vellent sui, neque possent obtritos internoscere ullo modo, Simonides dicitur, ex eo quod meminisset quo eorum loco quisque cubuisset, demonstrator uniuscuiusque sepeliendi fuisse. Hac tum re admonitus invenisse fertur ordinem esse maxime qui memoriae lumen afferret.—Cicero, *de Orat.* ii. lxxxvi. 351.

PROLOGUE OF THE MEDEA.

41. Utinam ne in nemore Pelio securibus
caesa cecidisset abiegna ad terram trabes,
neve inde navis inchoandae exordium
coepisset, quae nunc nominatur nomine
Argo, quia Argivi in ea dilecti viri
vecti petebant pellem inaurati arietis
Colchis, imperio regis Peliae, per dolum:
nam numquam era errans mea domo ecferret pedem
Medea, animo aegra, amore saevo saucia.

Q. Ennius.

A SON PRAYS BURIAL.

42. Mater,[1] te appello, tu, quae curam somno suspenso levas
neque te mei miseret, surge et sepeli natum tuum:

[1] Cf. Hor. *S.* ii. 3. 60; Cic. *Tusc.* i. 44. 106.

neu relliquias quaeso meas sieris denudatis ossibus
per terram sanie delibutas foede divexarier.

M. PACUVIUS.

PARASITUS LOQUITUR.

43. Ut illum di perdant primus qui horas repperit,
quique adeo primus statuit hic solarium,
qui mihi comminuit misero articulatim diem.
nam olim me puero venter erat solarium,
multo omnium istorum optumum et verissumum:
ubi ubi monebat esse, nisi quom nil erat.
nunc etiam, quom est, non estur, nisi soli lubet.
itaque adeo iam oppletum oppidumst solariis,
maior pars populi ut aridi reptent fame.

AQUILIUS.

ONE OF THE BLEMISHES OF OLD AGE.

44. Edepol, senectus, si nil quicquam aliud viti
adportes tecum, cum advenis, unum id sat est,
quod diu vivendo multa quae non volt videt.

CAECILIUS STATIUS.

PROVERBIAL PHILOSOPHY.

45. Comes facundus in via pro vehiculo est.
deliberando discitur sapientia.
desunt inopĭae pauca, avaritiae omnia.
discipulus est prioris posterior dies.
malum est consilium quod mutari non potest.

P. SYRUS.

A SALAD.

46. Hortus erat iunctus casulae, quem vimina pauca
et calamo recidiva levi munibat harundo,
exiguus spatio variis sed fertilis herbis.
non illi deerat quod pauperis exigit usus;
interdum locuples a paupere multa petebat,
nec sumptus erat illud opus sed regula curae.

* * * * * * * *

ac primum, leviter digitis tellure refossa,
quattuor educit cum spissis allia fibris,
inde comas apii graciles rutamque virentem
vellit, et exiguo coriandra trementia filo.
haec ubi collegit, laetum consedit ad ignem,
et clara famulam poscit mortaria voce.
singula tum capitum nodoso cortice nudat,
et summis spoliat coriis, contemptaque passim
spargit humi atque abicit: servatum in germine bulbum
tingit aqua, lapidisque cavum demittit in orbem;
hinc salis inspergit micas, sale durus adeso
caseus adicitur, dictas super ingerit herbas,
dextera pistillo primum fragrantia mollit
allia, tum pariter mixto terit omnia suco.
it manus in gyrum: paullatim singula vires
deperdunt proprias; color est e pluribus unus,
nec totus viridis, quia lactea frusta repugnant,
nec de lacte nitens, quia tot variatur ab herbis.

[VERG.] *Moretum*, 61.

A ROMAN HEROINE.

47. Casta suo gladium cum traderet Arria Paeto
quem de visceribus traxerat ipsa suis,
'Si qua fides, volnus, quod feci, non dolet, inquit,
'sed quod tu facies,—hoc mihi, Paete, dolet.'

Martial i. 14.

ANECDOTE OF ARRIA.

48. Adnotasse videor facta dictaque virorum feminarumque illustrium alia clariora esse, alia maiora. Confirmata est opinio mea hesterno Fanniae sermone. Neptis haec Arriae illius quae marito et solatium mortis et exemplum fuit. Multa referebat aviae suae non minora hoc sed obscuriora, quae tibi existimo tam mirabilia legenti fore quam mihi audienti fuerunt. Aegrotabat Caecina Paetus, maritus eius, aegrotabat et filius, uterque mortifere, ut videbatur: filius decessit, eximia pulcritudine, pari verecundia, et parentibus non minus ob alia carus quam quod filius erat. Huic illa ita funus paravit, ita duxit exsequias, ut ignoraret maritus: quin immo, quoties cubiculum eius intraret, vivere filium atque etiam commodiorem esse simulabat. Ac persaepe interroganti quid ageret puer, respondebat Bene quievit, libenter cibum sumpsit. Deinde, cum diu cohĭbitae lacrumae vincerent prorumperentque, egrediebatur. Tum se dolori dabat. Satiata, siccis oculis, composito voltu redibat, tanquam orbitatem foris reliquisset. Praeclarum quidem

illud eiusdem, ferrum stringere, perfodere pectus, extrahere pugionem, porrigere marito, addere vocem immortalem ac paene divinam *Paete, non dolet*; sed tamen ista facienti dicentique gloria et aeternitas ante oculos erant: quo maius est sine praemio aeternitatis, sine praemio gloriae, abdere lacrumas, operire luctum, amissoque filio matrem adhuc agere.

PLIN. *Ep.* iii. 16.

EPITAPH ON ASDRUBAL.

49. Asdrubal hic situs est. Hic Africa tota triumphos
et spes Carthago condidit alta suas.
Mars gemit ad tumulum; tumulo decorata superbo
Italia extincti suspicit ossa ducis:
Tu quoque, Roma, doles; nam, dum cadit aemula virtus,
in te converti quae geris arma vides.

Anth. Lat. 726.

ON THE DEATH OF CATO UTICENSIS.

50. Iussa manus sacri pectus violare Catonis
haesit, et inceptum victa reliquit opus.
Ille ait infesto contra sua volnera voltu:
'Estne aliquid magnus quod Cato non potuit?
dextera, quid dubitas? durum est iugulasse Catonem?
sed modo liber erit; iam, puto, non dubitas.
fas non est vivo quemquam servire Catone,
nedum ipsum: vincit nunc Cato, si moritur.'

Anth. Lat. 746.

THE PLEASURES OF A GARDEN.

51. Adeste Musae, maximi proles Iovis,
laudes feracis praedicemus hortuli.
Hortus salubres corpori praebet cibos
variosque fructus saepe cultori refert,
olus sŭāve, multiplex herbae genus,
uvas nitentes atque fetus arborum.
non defit hortis et voluptas maxima
multisque mixta commodis iucunditas.
aquae strepentis vitreus lambit liquor,
sulcoque ductus irrigat rivus sata;
flores nitescunt discolore germine
pinguntque terram gemmeis honoribus.
apes susurro murmurant gratae levi,
cum summa florum vel novos rores legunt.
fecunda vitis coniuges ulmos gravat,
textasve inumbrat pampinis arundines;
opaca praebent arbores umbracula
prohibentque densis fervidum solem comis.
aves canoros garrulae fundunt sonos
et semper auras cantibus mulcent suis.
oblectat hortus, avocat, pascit, tenet,
animoque maestos demit angores graves,
membris vigorem reddit et visum capit,
refert labori pleniorem gratiam,
tribuit colenti multiforme gaudium.

Vomanus (*Anth. Lat.* 533).

BE HUMBLE AND SECURE.

52. Parvula securo tegitur mihi culmine sedes,
uvaque plena mero fecunda pendet ab ulmo:

dant rami cerasos, dant mala rubentia silvae,
Palladiumque nemus pingui se vertice frangit.
Iam qua diductos potat levis area fontes,
Corycium mihi surgit olus malvaeque supinae,
et non sollicitos missura papavera somnos,
si vero alitibus fraudem contexere praeter,
seu magis inbelles libuit circumdare cervos,
aut tereti lino pavidum subducere piscem :
hos tantum novere dolos mea sordida rura.
I nunc, et vitae fugientis tempora vende
divitibus cenis !

T. PETRONIUS ARBITER (*Anth. Lat.* 142).

'LEAVE ME BUT LIFE!'

53. (*a*) Debilem facito manu, debilem pede, coxa ;
tuber adstrue gibbum, lubricos quate dentes,
vita dum superest, bene est ; hanc mihi, vel acuta
si sedeam cruce, sustine.

C. CILNIUS MAECENAS (*Anth. Lat.* 84).

THOUGHTS ON LIFE.

(*b*) Omnis dies omnis hora quam nihil simus ostendit, et aliquo argumento recenti admovet fragilitatis oblitos, cum aeterna meditantes respicere cogit ad mortem. Quam stultum est aetatem disponere ! ne crastino quidem dominamur. O quanta dementia est spes longas inchoantium ! Emam, aedificabo, credam, exigam, honores geram, tum demum lassam et plenam senectutem in otium referam. Omnia,

mihi crede, etiam felicibus dubia sunt. Nihil sibi quisquam de futuro debet promittere; id quoque quod tenetur per manus exit. Miserrimum, atque miserrima omnia efficiens metus mortis. Inde illud Maecenatis turpissimum votum: quod miserrimum erat, si incidisset, optatur.

L. ANN. SENECA, *Epist.* 101.

ON THE NATURE OF VIRTUE.

54. Virtus, Albine, est pretium persolvere verum,
queis in versamur, queis vivimu', rebus potesse,
virtus est homini, scire id, quid quaeque habeat res.
virtus scire homini, rectum utile quid sit honestum,
quae bona, quae mala; item quid inutile, turpe, inhonestum:
virtus, quaerendae finem rei scire modumque;
virtus, divitiis pretium persolvere posse:
virtus, id dare, quod re ipsa debetur, honori,
hostem esse atque inimicum hominum morumque malorum,
contra defensorem hominum morumque bonorum,
magnificare hos, his bene velle, his vivere amicum;
commoda praeterea patriaï prima putare,
deinde parentum, tertia iam postremaque nostra.

LUCILIUS (*Anth. Lat.* 29).

ON THE MURDER OF M. T. CICERO.

55. Ora ibi magnanimum spirantia paene virorum
in Rostris iacuere suis, sed enim abstulit omnes,
tanquam sola foret, rapti Ciceronis imago.
tunc redeunt animis ingentia consulis acta,
iurataeque manus deprensaque foedera noxae
patriciumque nefas exstinctum, et poena Cethegi,
deiectusque redit votis Catilina nefandis.
quid favor aut coetus, pleni quid honoribus anni
profuerunt, sacris et vita quid artibus acta?
abstulit una dies aevi decus, ictaque luctu
conticuit Latiae tristis facundia linguae.
unica sollicitis quondam tutela salusque,
egregium semper patriae caput, ille senatus
vindex, ille fori, legum, iurisque, togaeque
publica vox saevis aeternum obmutuit armis.
informes vultus sparsamque cruore nefando
canitiem sacrasque manus operumque ministras
tantorum, pedibus civis proiecta superbis
proculcavit ovans, nec lubrica fata deosque
respexit: nullo luet hoc Antonius aevo.

Cornelius Severus (*Anth. Lat.* 124).

O CURAS HOMINUM!

56. Vivitur parvo bene, cui paternum
splendet in mensa tenui salinum,
nec leves somnos timor aut cupido sordidus aufert.
quid brevi fortes iaculamur aevo
multa? quid terros alio calentes

sole mutamus patria? quis exul se quoque fugit?
scandit aeratas vitiosa naves
cura nec turmas equitum relinquit,
ocior cervis et agente nimbos ocior Euro.
laetus in praesens animus quod ultra est
oderit curare, et amara lento
temperet risu: nihil est ab omni parte beatum.
abstulit clarum cita mors Achillem,
longa Tithonum minuit senectus;
et mihi forsan, tibi quod negarit, porriget hora.
te greges centum Siculaeque circum
mugiunt vaccae, tibi tollit hinnitum
apta quadrigis equa, te bis Afro murice tinctae
vestiunt lanae: mihi parva rura et
spiritum Graiae tenuem camenae
Parca non mendax dedit et malignum spernere
vulgus.

Hor. *Carm.* ii. 16.

SHARP PRACTICE.—A GARDEN PARTY.

57. C. Canius, eques Romanus, non infacetus et satis litteratus, cum se Syracusas otiandi, ut ipse dicere solebat, non negotiandi caussa contulisset, dictitabat se hortulos aliquos emere velle, quo invitare amicos et ubi se oblectare sine interpellatoribus posset. Quod cum percrebruisset, Pythius ei quidam, qui argentariam faceret Syracusis, dixit venales quidem se hortos non habere, sed licere uti Canio, si vellet, ut suis; et simul ad cenam hominem in hortos invitavit in posterum diem. Cum ille promisisset, tum Pythius, qui esset, ut argentarius, apud omnes ordines gratiosus, piscatores ad se convocavit, et ab his petivit ut ante suos hortulos

postridie piscarentur, dixitque quid eos facere vellet. Ad cenam tempore venit Canius: opipare a Pythio apparatum convivium: cumbarum ante oculos multitudo: pro se quisque quod ceperat afferebat: ante pedes Pythii pisces abiciebantur. Tum Canius, 'Quaeso,' inquit, 'quid est hoc, Pythi? Tantumne hic piscium? tantumne cumbarum?' Et ille, 'Quid mirum?' inquit: 'hoc loco est Syracusis quidquid est piscium: hic aquatio, hac villa isti carere non possunt.' Incensus Canius cupiditate contendit a Pythio ut venderet. Gravate ille primo. Quid multa? Impetrat. Emit homo cupidus et locuples tanti quanti Pythius voluit, et emit instructos: nomina facit; negotium conficit. Invitat Canius postea familiares suos: venit ipse maturum: scalmum nullum videt. Quaerit ex proximo vicino num feriae quaedam piscatorum essent, quod eos nullos videret. 'Nullae, quod sciam,' inquit ille, 'sed hic piscari nulli solent, itaque heri mirabar quid accidisset.' Stomachari Canius, sed quid faceret?

CICERO, *De Off.* iii. 14. 58.

VIRTUTEM NATURA PARAT, DOCTRINAVE DONAT.

58. Falso queritur de natura sua genus humanum quod inbecilla atque aevi brevis forte potius quam virtute regatur. Nam contra reputando neque maius aliud neque praestabilius invenias, magisque naturae industriam hominum quam vis aut tempus deesse. Sed dux atque imperator vitae mortalium animus est, qui, ubi ad gloriam virtutis via grassatur, abunde pollens potensque et clarus est, neque fortuna

eget, quippe probitatem, industriam, aliasque artes bonas neque dare neque eripere cuiquam potest: sin captus pravis cupidinibus ad inertiam et voluptates corporis pessum datus est, perniciosa lubidine paulisper usus, ubi per socordiam vires, tempus, ingenium diffluxere, naturae infirmitas accusatur; suam quisque culpam auctores ad negotia transferunt. Quodsi hominibus bonarum rerum tanta cura esset, quanto studio aliena ac nihil profutura multumque etiam periculosa petunt, neque regerentur magis quam regerent casus, et eo magnitudinis procederent ubi pro mortalibus gloria aeterni fierent. Nam uti genus humanum compositum ex corpore et anima est, ita res cunctae studiaque omnia nostra corporis alia, alia animi naturam sequuntur. Igitur praeclara facies, magnae divitiae, ad hoc vis corporis et alia huiuscemodi omnia brevi dilabuntur, at ingeni egregia facinora sicuti animi immortalia sunt. Postremo corporis et fortunae bonorum ut initium sic finis est, omniaque orta accidunt et aucta senescunt: animus incorruptus, aeternus, rector humani generis, agit atque habet cuncta neque ipse habetur.

SAL. *Bell. Iugurth.* 1.

WATER IS SOMETIMES PREFERABLE TO WINE.

58*. (*a*) Sit cisterna mihi quam vinea malo Ravennae,
cum possim multo vendere pluris aquam.

(*b*) Callidus imposuit nuper mihi caupo Ravennae;
cum peterem mixtum, vendidit ille merum.

MART. iii. 56, 57.

AMANT ALTERNA CAMENAE.

DAMOETAS, MENALKAS.

59. *D.* Ab Iove principium, Musae, Iovis omnia plena; Theokr. xvii. 1.
ille colit terras, illi mea carmina curae.
M. Et me Phoebus amat; Phoebo sua semper apud me
munera sunt, lauri, et suave rubens hyacinthus.
D. Malo me Galatea petit, lasciva puella, v. 88; vi. 6.
et fugit ad salices, et se cupit ante videri.[1]
M. At mihi sese offert ultro meus ignis Amyntas,
notior ut iam sit canibus non Delia nostris.
D. Parta meae Veneri sunt munera, namque notavi v. 96, 97.
ipse locum, aeriae quo congessere palumbes.
M. Quod potui, puero silvestri ex arbore lecta iii. 10.
aurea mala decem misi; cras altera mittam.
D. O quotiens et quae nobis Galatea locuta est!
partem aliquam, venti, divom referatis ad aures!
M. Quid prodest quod me ipse animo non spernis, Amynta,
si dum tu sectaris apros, ego retia servo?

[1] This most natural touch is pronounced by Leigh Hunt (*Jar of Honey from Mount Hybla*) the only passage in which Vergil has improved upon his Greek model.

D. Phyllida mitte mihi; meus est natalis, Iola; Theokr.
cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito.
M. Phyllida amo ante alias, nam me discedere flevit,
et longum, formose, vale, vale, inquit, Iola.
D. Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres, viii. 57.
arboribus venti, nobis Amaryllidis irae.
M. Dulce satis umor, depulsis arbutus haedis,
lenta salix feto pecori, mihi solus Amyntas.
D. Pollio amat nostram, quamvis est rustica, Musam;
Pierides, vitulum lectori pascite vestro.
M. Pollio et ipse facit nova carmina: pascite taurum
iam cornu petat, et pedibus qui spargat arenam.
D. Qui te, Pollio, amat, veniat quo te quoque gaudet:
mella fluant illi, ferat et rubus asper amomum. i. 132.
M. Qui Bavium non odit amet tua carmina, Maevi;
atque idem iungat volpes et mulgeat hircos.

VERG. *Ecl.* iii. 60.

Ἄνθρωπον ὄντα δεῖ φρονεῖν τἀνθρώπινα.

CHREMES, MENEDEMUS.

60. *Ch.* Quanquam haec inter nos nupera notitia admodumst,

inde adeo quod agrum in proximo mercatus es,
nec rei fere sane amplius quicquam fuit;
tamen vel virtus tua me, vel vicinitas,
quod ego in propinqua parte amicitiae puto,
facit ut te audacter moneam et familiariter,
quod mihi videre praeter aetatem tuam
facere, et praeter quam res te adhortatur tua.
nam, pro deum atque hominum fidem, quid vis tibi?
quid quaeris? annos sexaginta natus es,
aut es plus, ut conicio; agrum in his regionibus
meliorem neque preti maioris, nemo habet;
servos complures: proinde quasi nemo siet,
ita tute attente illorum officia fungere.
nunquam tam mane egredior, neque tam vesperi
domum revertor quin te in fundo conspicer
fodere, aut arare, aut aliquid ferre; denique
nullum remittis tempus neque te respicis.
haec non voluptati tibi esse satis certo scio.
at enim dices 'quantum hic operis fiat, paenitet.'
quod in opere faciendo operae consumis tuae,
si sumis in illis exercendis, plus agas.
M. Chreme, tantumnest ab re tua oti tibi
aliena ut cures eaque nihil quae ad te attinent?
Ch. Homo sum: humani nihil a me alienum puto.

vel me monere hoc, vel percontari puta.
rectumst? ego ut faciam: non est? te ut deterream.
M. Mihi sic est usus: tibi ut opus factost, face.

TER. *Haut.* i. 1.

THE GOLDEN AGE.

61. Quam bene Saturno vivebant rege, priusquam
tellus in longas est patefacta vias!
nondum caeruleas pinus contemserat undas,
effusum ventis praebueratque sinum,
nec vagus, ignotis repetens compendia terris,
presserat externa navita merce ratem.
illo non validus subiit iuga tempore taurus,
non domito frenos ore momordit equus;
non domus ulla fores habuit; non fixus in agris,
qui regeret certis finibus arva, lapis.
ipsae mella dabant quercus, ultroque ferebant
obvia securis ubera lactis oves.
non acies, non ira fuit, non bella, nec ensem
immiti saevus duxerat arte faber.
nunc Iove sub domino caedes et volnera semper,
nunc mare, nunc leti mille repente viae.
parce, pater: timidum non me periuria terrent,
non dicta in sanctos impia verba deos.
quod si fatales iam nunc explevimus annos,
fac lapis his scriptus stet super ossa notis:
Hic iacet immiti consumtus morte Tibullus,
Messallam terra dum sequiturque mari.

TIBULL. i. 3. 35.

MONSTROUS CRUELTY OF G. VERRES.

62. Res ad Verrem defertur: esse civem Romanum qui se Syracusis in lautumiis fuisse quereretur, quem, iam ingredientem navem et Verri nimis atrociter minitantem, a magistratu Mamertino retractum esse et asservatum ut ipse in eum statueret, quod videretur. Agit hominibus gratias, et eorum benevolentiam erga se diligentiamque collaudat: ipse inflammatus scelere et furore in forum venit. Ardebant oculi: toto ex ore crudelitas eminebat. Expectabant omnes quo tandem progressurus aut quidnam acturus esset; cum repente hominem proripi, atque in foro medio nudari ac deligari, et virgas expediri iubet. Clamabat ille miser se civem esse Romanum, meruisse cum L. Precio, qui Panormi negotiaretur, ex quo haec Verres scire posset. Tum iste se comperisse ait eum speculandi caussa in Sicilia esse missum, cuius rei neque index neque vestigium aliquod neque suspitio cuiquam esset ulla: deinde iubet undique hominem vehementissime verberari. Caedebatur virgis in medio foro Messanae civis Romanus, iudices, cum interea nullus gemitus, nulla vox alia illius miseri inter dolorem crepitumque plagarum audiebatur, nisi haec *Civis Romanus sum.* Hac se commemoratione civitatis omnia verbera depulsurum cruciatumque a corpore deiecturum arbitrabatur. Is non modo non perfecit ut virgarum vim deprecaretur, sed, cum imploraret saepius usurparetque nomen civitatis, crux, crux, inquam, infelici et aerumnoso, qui nunquam istam pestem viderat, comparabatur.—O nomen dulce libertatis! O ius eximium nostrae civitatis! O lex

Porcia legesque Semproniae! O graviter desiderata et aliquando reddita plebi Romanae tribunicia potestas. Hucine tandem omnia reciderunt?

CICERO, 2 *in Verrem*, i. 62.

PRAISES OF NERO CLAUDIUS DRUSUS AND TIBERIUS NERO, STEPSONS OF AUGUSTUS.

63. Qualem ministrum fulminis alitem
cui rex deorum regnum in aves vagas
permisit expertum fidelem
Iuppiter in Ganymede flavo,
olim iuventas et patrius vigor
nido laborum propulit inscium,
vernique iam nimbis remotis
insolitos docuere nisus
venti paventem, mox in ovilia
demisit hostem vividus impetus,
nunc in reluctantes dracones
egit amor dapis atque pugnae;
qualemve laetis caprea pascuis
intenta fulvae matris ab ubere
iam lacte depulsum leonem
dente novo peritura vidit;
videre Raeti bella sub Alpibus
Drusum gerentem Vindelici.

* * * * * *

fortes creantur fortibus et bonis;
est in iuvencis, est in equis patrum
virtus, neque imbellem feroces
progenerant aquilae columbam:
doctrina sed vim promovet insitam,

rectique cultus pectora roborant;
utcunque defecere mores
indecorant bene nata culpae.
quid debeas, O Roma, Neronibus,
testis Metaurum flumen et Hasdrubal
devictus et pulcher fugatis
ille dies Latio tenebris,
qui primus alma risit adorea,
dirus per urbes Afer ut Italas
ceu flamma per taedas vel eurus
per Siculas equitavit undas.—Hor. *C.* iv. 4.

STORY OF GYGES.

64. A Platone[1] inducitur Gyges ille, qui, cum terra discessisset magnis quibusdam imbribus, descendit in illum hiatum, aeneumque equum, ut ferunt fabulae, animadvertit, cuius in lateribus fores essent; quibus apertis, hominis mortui vidit corpus magnitudine inusitata, anulumque aureum in digito, quem, ut detraxit, ipse induit—erat autem regius pastor—tum in concilium se pastorum recepit. Ibi cum palam eius anuli ad palmam converterat, a nullo videbatur, ipse autem omnia videbat; idem rursus videbatur, cum in locum anulum inverterat. Itaque hac opportunitate anuli usus, reginae[2] stuprum intulit, eaque adiutrice Regem dominum interemit, sustulitque quos obstare arbitrabatur: nec in his eum facinoribus quisquam potuit videre: sic repente anuli beneficio Rex exortus est Lydiae.—Cicero, *De Off.* iii. 9.

[1] Plato, *Rep.* p. 359 C, ad fin. (lib. ii. 3); cf. Hdt. i. 8–12.
[2] 'Intrigued with.'

FRIENDLY LETTER TO ATTICUS.

65. Brundisium venimus vii. Kal. Dec. usi tua felicitate navigandi; ita belle nobis

flavit ab Epiro lenissimus Onchesmites.

hunc *σπονδειάζοντα* si cui voles *τῶν νεωτέρων* pro tuo vendito. valetudo tua me valde conturbat, significant enim tuae litterae te prorsus laborare. Ego autem, cum sciam, quam sis fortis, vehementius esse quiddam suspicor quod te cogat cedere et propemodum infringat, etsi alteram quartanam Pamphilus tuus mihi dixit decessisse et alteram leviorem accedere. Venio ad epistulas tuas quas ego sescentas uno tempore accepi aliam alia iucundiorem, quae quidem erant tua manu: nam Alexidis manum amabam, quod tam prope accedebat ad similitudinem tuae litterae, non amabam quod indicabam te non valere. Cuius quoniam mentio facta est, Tironem Patris aegrum reliqui, adulescentem, ut nosti, et adde, si quid vis, probum: nihil vidi melius: itaque careo aegre. Quanquam videbatur se non graviter habere, tamen sum sollicitus maximamque spem in M' Curi diligentia, de qua ad me scripsit Tiro et multi nuntiarunt; Curius autem ipse sensit quam tu velles se a me diligi, et eo sum admodum delectatus. Et mehercule est quam facile diligas *αὐτόχθων* in homine urbanitas. Eius testamentum deporto Ciceronum signis obsignatum cohortisque praetoriae: facit palam te ex libella, me ex teruncio. In Actio Corcyrae Alexio me opipare muneratus est. Q. Ciceroni obsisti non potuit quo minus Thyamim videret.

Filiola tua te delectari laetor et probari tibi *φυσικὴν* esse *τὴν πρὸς τὰ τέκνα.*—Cic. *ad Att.* vii. 2.

DEATH OF HIPPOLYTUS.

*κῦμ᾽ ἐξέθηκε *ταῦρον, ἄγριον τέρας.*

66. Inobsequentes protinus frenis equi
rapuere currum; iamque deerrantes via,
quacunque rabidos pavidus evexit furor,
hac ire pergunt, seque per scopulos agunt.
at ille, qualis turbido rector mari
ratem retentat, ne det obliquom latus,
et arte fluctus fallit, haut aliter citos
currus gubernat: ora nunc pressis trahit
constricta frenis, terga nunc torto frequens
verbere coërcet. Sequitur adsiduus *comes,
nunc aequa carpens spatia, nunc contra obvius
oberrat, omni parte terrorem movens.
non licuit ultra fugere: nam toto obvius
incurrit ore corniger ponti horridus.
tum vero pavida sonipedes mente exciti
imperia solvunt, seque luctantur iugo
eripere, rectique in pedes iactant onus.
praeceps in ora fusus implicuit cadens
laqueo tenaci corpus; et quanto magis
pugnat, sequaces hoc magis nodos ligat.
* * * * * * *
late cruentat arva, et inlisum caput
scopulis resultat. Auferunt dumi comas
et ora durus pulcra populatur lapis,
peritque multo volnere infelix decor.

moribunda celeres membra provolvunt rotae;
. . . . . inde semianimem secant
virgulta: acutis asperi vepres rubis,
omnisque truncus corporis partem tulit.
longum cruenta tramitem signat nota,
maestaeque domini membra vestigant canes,
necdum dolentum sedulus potuit labor
explere corpus. Hocine est formae decus?

[1] SENECA, *Hippol.* 1068.

AENEAS SEES HELEN.

67. Iamque adeo super unus eram, cum limina Vestae
servantem et tacitam secreta in sede sedentem
Tyndarida aspicio: dant clara incendia lucem
erranti, passimque oculos per cuncta ferenti.
illa, sibi infestos eversa ob Pergama Teucros
et poenas Danaum et deserti coniugis iras
praemetuens, Troiae et patriae communis Erinys,
abdiderat sese atque aris invisa sedebat.
exarsere ignes animo: subit ira cadentem
ulcisci patriam et sceleratas sumere poenas.
'Scilicet haec Spartam incolumis patriasque Mycenas
aspiciet, partoque ibit regina triumpho,
coniugiumque domumque patres natosque videbit,
Iliadum turba et Phrygiis comitata ministris?
deciderit ferro Priamus? Troia arserit igni?
Dardanium totiens sudarit sanguine litus?
non ita: namque etsi nullum memorabile nomen

[1] See also Eurip. *Hipp.* 1073–1254; Verg. *Aen.* vii. 765; Ov. *Fast.* iii. 263; vi. 741 seqq.; *Met.* xv. 497 seqq.

feminea in poena est, nec habet victoria laudem,
exstinxisse nefas tamen et sumpsisse merentis
laudabor poenas, animumque explesse iuvabit
ultricis flammae, et cineres satiasse meorum.'
Talia iactabam, et furiata mente ferebar
cum mihi se, non ante oculis tam clara, videndam
obtulit et pura per noctem in luce refulsit
alma parens, confessa deam, qualisque videri
caelicolis et quanta solet. VERG. *Aen.* ii. 567.

L. TARQUINI SOMNIUM.

68. Quom iam quieti corpus nocturno impetu
dedi, sopore placans artus languidos,
visum est in somnis pastorem ad me adpellere
pecus lanigerum eximia pulcritudine,
duos consanguineos arietes inde eligi
praeclarioremque alterum immolare me.
deinde eius germanum cornibus conitier
in me arietare, eoque ictu me ad casum dari :
exin, prostratum terra, graviter saucium,
resupinum, in caelo contueri maxumum
mirificum facinus; dextrorsum orbem flammeum
radiatum solis liquier cursu novo. L. ATTIUS.

DAMNATA DIU ROMANIS ALIA FASTIS.

69. Plurimum terroris Romam celeritas hostium tulit, quippe quibus, velut tumultuario exercitu raptim ducto, aegre ad undecimum lapidem concursum est, qua flumen Alia, Crustuminis montibus praealto

defluens alveo, haud multum infra viam Tiburino amni miscetur. Iam omnia contra circaque hostium plena erant, et nata in vanos tumultus gens truci cantu clamoribusque variis horrendo cuncta compleverant sono. Ibi tribuni militum, non loco castris ante capto, non praemunito vallo, quo receptus esset, non deorum saltem, si non hominum, memores, nec auspicato nec litato, instruunt aciem diductam in cornua, ne circumveniri multitudine hostium possent. Nec tamen aequari frontes poterant, cum extenuando infirmam et vix cohaerentem mediam aciem haberent. Plurimum erat ab dextra editi loci, quem subsidiariis repleri placuit: eaque res, ut initium pavoris ac fugae, sic una salus fugientibus fuit. Nam Brennus, regulus Gallorum, in paucitate hostium artem maxime timens, ratus ad id captum superiorem locum ut, ubi Galli cum acie legionum recta fronte concurrissent, subsidia in aversos transversosque impetum darent, ad subsidiarios signa convertit, haud dubius, si eos loco depulisset, facilem in aequo campi tantum superanti multitudini victoriam fore: adeo non fortuna modo sed ratio etiam cum barbaris stabat. In altera acie nihil simile Romanis, non apud duces, non apud milites erat. Pavor fugaque occupaverat animos, et tanta omnium oblivio ut multo maior pars Veios, in hostium urbem, cum Tiberis arceret, quam recto itinere Romam ad coniuges ac liberos fugerent. Circa ripam Tiberis magna strages facta est; multos, imperitos nandi aut invalidos, graves loricis aliisque tegminibus hausere gurgites.—Liv. v. 37, 38.

FORTUNA, LUDUM INSOLENTEM LUDERE PERTINAX.

70. Fortunam insanam et caecam et brutam perhibent philosophi,
saxoque instare in globoso praedicant volubili,
quia, quo id saxum impulerit fors, eo cadere fortunam autumant.
insanam autem esse aiunt, quia atrox incerta instabilisque sit:
caecam ob eam rem esse iterant, quia nil cernat quo sese adplicet:
brutam, quia dignum atque indignum nequeat internoscere.
sunt autem alii philosophi, qui contra fortunam negant
esse ullam, sed temeritate res regi omnes autumant.
id magis veri simile esse usus reapse experiundo edocet:
velut Orestes modo fuit rex, factust mendicus modo.

M. PACUVIUS.

MONSTRUM HORRENDUM.—A SHIP.

71. Tanta moles labitur
fremebunda ex alto ingenti sonitu et spiritu.
prae se undas volvit, vortices vi suscitat:
ruit prolapsa, pelagus respargit, reflat.
ita dum interruptum credas nimbum volvier,
dum quod sublime ventis expulsum rapi
saxum aut procellis, vel globosos turbines

existere ictos undis concursantibus:
nisi quas terrestres pontus strages conciet.
aut forte Triton fuscina evertens specus
subter radices penitus undanti in freto
molem ex profundo saxeam ad caelum erigit.

L. Attius.

REJOICING AFTER VICTORY AT ACTIUM.

Sept. 2, B.C. 31.

Frondibus Actiacis comptos redimita capillos
Pax ades.

72. Nunc est bibendum, nunc pede libero
pulsanda tellus, nunc Saliaribus
ornare pulvinar deorum
tempus erat dapibus, sodales.
antehac nefas depromere Caecubum
cellis avitis, dum Capitolio
regina dementes ruinas
funus et imperio parabat
contaminato cum grege turpium
morbo virorum, quidlibet impotens
sperare fortunaque dulci
ebria: sed minuit furorem
vix una sospes navis ab ignibus,
mentemque lymphatam Mareotico
redegit in veros timores
Caesar ab Italia volantem
remis adurgens, accipiter velut
molles columbas aut leporem citus
venator in campis nivalis
Haemoniae, daret ut catenis
fatale monstrum: quae generosius

perire quaerens nec muliebriter
expavit ensem nec latentes
classe cita reparavit oras,
ausa et iacentem visere regiam
voltu sereno, fortis et asperas
tractare serpentes, ut atrum
corpore combiberet venenum,
deliberata morte ferocior.
saevis Liburnis scilicet invidens
privata deduci superbo
non humilis mulier triumpho.

Hor. *C.* i. 37.

A STORM.

73. Quid tempestates auctumni et sidera dicam,
atque, ubi iam breviorque dies et mollior aestas,
quae vigilanda viris, vel quom ruit imbriferum vir,
spicea iam campis quom messis inhorruit, et quom
frumenta in viridi stipula lactentia turgent?
saepe ego, quom flavis messorem induceret arvis
agricola, et fragili iam stringeret hordea culmo,
omnia ventorum concurrere praelia vidi,
quae gravidam late segetem ab radicibus imis
sublime expulsam eruerent, ita turbine nigro
ferret hiemps culmumque levem stipulasque volantes.
saepe etiam immensum caelo venit agmen aquarum,
et foedam glomerant tempestatem imbribus atris
collectae ex alto nubes: ruit arduus aether,

et pluvia ingenti sata laeta boumque labores
diluit: implentur fossae, et cava flumina crescunt
cum sonitu, fervetque fretis spirantibus aequor.
ipse Pater, media nimborum in nocte, corusca
fulmina molitur dextra, quo maxima motu
terra tremit: fugere ferae, et mortalia corda
per gentes humilis stravit pavor: ille flagranti
aut Athon aut Rhodopen aut alta Ceraunia telo
deicit: ingeminant austri et densissimus imber;
nunc nemora ingenti vento, nunc littora plangunt,
hoc metuens, caeli menses et sidera serva,
frigida Saturni sese quo stella receptet,
quos ignis caeli Cyllenius erret in orbes.

VERG. *Georg.* i. 311.

HOW THE EMPEROR CLAUDIUS FARED AFTER DEATH.

74. Quid actum sit in caelo iii. Id. Oct. Asinio Marcello, Aciolo Aviola Coss. initio seculi felicissimi volo memoriae tradere. Nihil offensae vel gratiae dabitur. Haec ita vera si quis quaesierit unde sciam, si volo non respondebo. Quis coacturus est? Ego scio me liberum factum, ex quo suum diem obiit ille qui verum proverbium fecerat Aut regem aut fatuum nasci oportere. Si libuerit respondere, dicam quod mihi in buccam venerit. Si necesse fuerit auctorem producere, quaerite ab [1] eo qui Drusillam euntem in

[1] Livius Geminius, a senator, swore that he saw D., the daughter of Germanicus and Agrippina Maior, and sister of Caius Caesar (Caligula), ascending to heaven in the company of the gods, and was rewarded with a million sesterces.—*Dict. Biog.* s. v. 'Drusilla 2.'

caelum vidit. Idem Claudium vidisse se dicet iter facientem, non passibus aequis. Ab hoc ego quaecunque audivi, certe clara affero. Horam non possum certam dicere: facilius inter philosophos quam inter horologia conveniet. Claudius animam agere coepit, nec invenire exitum poterat. Tum Mercurius unam de tribus Parcis educit, et ait Quid, femina crudelissima, hominem miserum torqueri pateris? Patere mathematicos aliquando verum dicere qui illum, ex quo princeps factus est, omnibus annis omnibus mensibus efferunt. Et tamen non est mirum si errant: nemo enim illum unquam natum putavit. Exspiravit dum comoedos audit, ut scias me non sine causa illos timere. Nuntiatur Iovi venisse quendam bene canum, nescio quid illum minari: assidue enim caput movere, pedem dextrum trahere. Tum Juppiter Herculem iubet ire et explorare quorum hominum esset. Diligentius intuenti Herculi, visus est quasi homo. Excandescere paullo postea Claudius, quanto potest murmure irasci. Putares omnes illius esse libertos, adeo illum nemo curabat. Suum inde funus vidit: anapaestis cantabatur naenia:

Fundite fletus, edite planctus, fingite luctus:
Resonet tristi clamore forum. Cecidit pulcre
Quo non alius potuit citius discere causas
Una tantum parte audita, saepe et neutra.

De genere poenae diu disputatum. Alea illum ludere iubet Aeacus, pertuso fritillo.

SENECA, [1]*Apocolocyntosis.*

[1] See Merivale, *Rom. Emp.* ch. 50.

GOODNATURE OF AUGUSTUS.

75. Domini appellationem, ut maledictum et opprobrium, semper exhorruit. Cum, spectante eo ludos, pronuntiatum esset in mimo *O dominum aequum et bonum!* et universi, quasi de ipso dictum exsultantes comprobassent, et statim manu voltuque indecoras adulationes repressit, et insequenti die gravissimo corripuit edicto, dominumque se posthac appellari ne a liberis quidem aut nepotibus suis, vel serio vel ioco, passus est; atque huiusmodi blanditias etiam inter ipsos prohibuit. Non temere urbe oppidove ullo egressus aut quoquam ingressus est nisi vespera aut noctu, ne quem officii causa inquietaret. In consulatu, pedibus fere; extra consulatum, saepe adaperta lectica per publicum incessit. Promiscuis salutationibus admittebat et plebem, tanta comitate adeuntium desideria excipiens ut quendam ioco corripuerit quod *sic sibi libellum porrigere dubitaret quasi elephanto stipem.* Die senatus nunquam patres, nisi in curia, salutavit, et quidem sedentes ac nominatim singulos, nullo submonente: etiam discedens eodem modo sedentibus singulis valere dicebat. Officia cum multis mutuo exercuit, nec prius dies cuiusque sollemnes frequentare desiit quam grandior iam natu et in turba quondam, sponsaliorum die, vexatus, Gallum Terrinium, senatorem, minus sibi familiarem, sed captum repente oculis, et ob id inedia mori destinantem, praesens consolando revocavit ad vitam.—SUETON. *Oct.* 53.

ON THE POSSIBILITY OF COMBINING HUNTING AND STUDY.

Plinius Cornelio Tacito suo S.

76. Ridebis, et liceat rideas. Ego ille, quem nosti, apros tres, et quidem pulcerrimos, cepi. Ipse? inquis. Ipse: non tamen ut omnino ab inertia mea et quiete discederem. Ad retia sedebam: erant in proximo non venabulum aut lancea, sed stilus et pugillares. Meditabar aliquid enotabamque, ut, si manus vacuas, plenas tamen ceras reportarem. Non est quod contemnas hoc studendi genus. Mirum est ut animus agitatione motuque corporis excitetur. Iam undique silvae et solitudo, ipsumque illud silentium, quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta sunt. Proinde, cum venabere, licebit, auctore me, ut panarium et lagunculam, sic etiam pugillares feras. Experieris non Dianam magis montibus quam Minervam inerrare. Vale.

PLIN. *Ep.* i. 6.

HAPPY THE WOOING THAT'S NOT LONG A DOING.

SIMO, CHREMES.

77. *S.* Iubeo Chremetem. *Ch.* O, te ipsum quaerebam. *S.* Et ego te. *Ch.* Optato advenis.
aliquot me adiere ex te auditum qui aiebant, hodie filiam
meam nubere tuo gnato: id viso tune an illi insaniant.

S. ausculta paucis: et quid ego te velim et tu quod quaeris scies.
Ch. ausculto: loquere quid velis.
S. per te deos oro et nostram amicitiam, Chreme,
quae incepta a parvis cum aetate accrevit simul,
perque unicam gnatam tuam et gnatum meum,
cuius tibi potestas summa servandi datur,
ut me adiuves in hac re, atque ita ut nuptiae
fuerant futurae fiant. *Ch.* A! ne me obsecra:
quasi hoc te orando a me impetrare oporteat.
alium esse censes nunc me atque olim quom dabam?
si in rem est utrique ut fiant, arcessi iube:
sed si ex ea re plus malist quam commodi
utrique, id oro te in commune ut consulas,
quasi illa tua sit, Pamphilique ego sim pater.
S. Imo ita volo itaque postulo ut fiat, Chreme:
neque postulem abs te nisi ipsa res moneat. *Ch.* Quid est?
S. Irae sunt inter Glykerium et gnatum. *Ch.* Audio.
S. Ita magnae ut sperem posse avelli. *Ch.* Fabulae.
S. Profecto sicst. *Ch.* Sic hercle ut dicam tibi:
Amantium irae amoris integratiost.

TER. *Andr.* iii. 3.

DISCOVERY BY CICERO OF THE TOMB OF ARCHIMEDES.

So Tully paus'd, amid the wrecks of Time,
On the rude stone to trace the truth sublime;
When at his feet, in honour'd dust disclos'd,
The immortal Sage of Syracuse repos'd.—Rogers.

78. Non ego iam cum huius (Dionysii) vita, qua taetrius, miserius, detestabilius excogitare nihil possum, Platonis aut Archytae vitam comparabo, doctorum hominum et plane sapientium; ex eadem urbe Syracusana humilem homunculum a pulvere et radio excitabo, qui multis annis post fuit, Archimedem. Cuius ego Quaestor ignoratum ab Syracusanis, cum esse omnino negarent, saeptum undique et vestitum vepribus et dumetis indagavi sepulcrum. Tenebam etiam quosdam senariolos, quos in eius monumento esse inscriptos acceperam, qui declarabant in summo sepulcro sphaeram esse positam cum cylindro. Ego autem, cum omnia collustrarem oculis,—est enim ad portas Achradinas magna frequentia sepulcrorum—animadverti columellam non multum e dumis eminentem, in qua inerat sphaerae figura et cylindri. Atque ego statim Syracusanis,—erant autem principes mecum—dixi me illud arbitrari esse quod quaererem. Immissi cum falcibus multi purgarunt et aperuerunt locum. Quo cum patefactus esset ad adversam basim accessimus. Apparebat epigramma, exesis posterioribus partibus versiculorum, dimidiatis fere. Ita nobilissima Graeciae civitas, quondam vero etiam doctissima, sui civis unius acutissimi monumentum ignorasset, nisi ab homine Arpinate didicisset.

Cicero, *Tusc. Disp.* v. 23. 64.

DEMOLITION OF ALBA, BY ORDER OF TULLUS HOSTILIUS.

79. Inter haec iam praemissi Albam erant equites qui multitudinem traducerent Romam. Legiones deinde ductae ad diruendam urbem. Quae ubi intravere portas, non quidem fuit tumultus ille nec pavor qualis captarum esse urbium solet, cum, effractis portis stratisve ariete muris aut arce vi capta, clamor hostilis et cursus per urbem armatorum omnia ferro flammaque miscet, sed silentium triste ac tacita maestitia ita defixit omnium animos ut prae metu obliti quid relinquerent quid secum ferrent, deficiente consilio, rogitantesque alii alios nunc in liminibus starent, nunc errabundi domos suas, ultimum illud visuri, pervagarentur. Ut vero iam equitum clamor exire iubentium instabat, iam fragor tectorum quae diruebantur ultimis urbis partibus audiebatur, pulvisque ex distantibus locis ortus velut nube inducta omnia impleverat, raptim, quibus quisque poterat, elatis, cum larem ac penates tectaque in quibus natus quisque educatusque esset relinquentes exirent, iam continens agmen migrantium impleverat vias, et conspectus aliorum mutua miseratione integrabat lacrimas, vocesque etiam miserabiles exaudiebantur, mulierum praecipue, cum obsessa ab armatis templa augusta praeterirent, ac velut captos relinquerent deos. Egressis urbem Albanis, Romanus passim publica privataque omnia adaequat solo, unaque hora quadringentorum annorum opus, quibus Alba steterat, excidio ac ruinis dedit. Templis tamen deum, ita enim edictum ab rege fuerat, temperatum est.—Liv. i. 29.

*CONSCIENCE.—STORY OF *GLAUKOS.*

(*Cf. Hdt.* vi. 86.)

80. Cur tamen hos tu
evasisse putes, quos diri conscia facti
mens habet attonitos et surdo verbere caedit
occultum quatiente animo tortore flagellum?
poena autem vehemens ac multo saevior illis,
quas et Caedicius gravis invenit et Rhadamanthus,
nocte dieque suum gestare in pectore testem.
Spartano* cuidam respondit Pythia vates,
haut impunitum quondam fore, quod dubitaret
depositum retinere et fraudem iure tueri
iurando. quaerebat enim quae numinis esset
mens, et an hoc illi facinus suaderet Apollo.
reddidit ergo metu, non moribus; et tamen omnem
vocem adyti dignam templo veramque probavit,
extinctus tota pariter cum prole domoque
et quamvis longa deductis gente propinquis.
has patitur poenas peccandi sola voluntas.
nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,
facti crimen habet. IUVENAL, xiii. 191.

THE DELIGHTS OF SPRING BY THE SEA-SIDE.

81. Sidera iam Tyrius Phrixei respicit agni
Taurus et alternum Castora fugit hiemps;
ridet ager, vestitur humus, vestitur et arbor,
Ismarium pellex Attica plorat Ityn.

quos, Faustine, dies, quales tibi Roma Ravennae
abstulit! o soles, o tunicata quies!
o nemus, o fontes, solidumque madentis harenae
litus et aequoreis splendidus Anxur aquis,
et non unius spectator lectulus undae,
qui videt hinc puppes fluminis, inde maris!
sed nec Marcelli Pompeianumque, nec illic
sunt triplices thermae, nec fora iuncta quater,
nec Capitolini summum penetrale Tonantis,
quaeque nitent caelo proxima templa suo.
dicere te lassum quotiens ego credo Quirino!
'Quae tua sunt, tibi habe: quae mea, redde
mihi.' MARTIAL, x. 51.

SIT MEDEA FEROX INVICTAQUE.

MEDEA, NUTRIX.

82. *M.* Occidimus. Aures pepulit Hymenaeus meas:
vix ipsa tantum, vix adhuc credo malum.
haec facere Iason potuit? erepto patre,
patria, atque regno, sedibus solam exteris
deserere? durus merita contempsit mea,
qui scelere flammas viderat vinci, et mare?
adeone credit omne consumptum nefas?
incerta, vecors, mente vesana feror
partes in omnes, unde me ulcisci queam.
utinam esset illi frater! est coniunx, in hanc
ferrum exigatur: hoc meis satis est malis

N. Sile, obsecro, questusque secreto abditos
manda dolori; gravia quisquis volnera
patiente et aequo mutus animo pertulit,
referre potuit: ira quae tegitur nocet:

professa perdunt odia vindictae locum.
M. Levis est dolor qui capere consilium potest ;
libet ire contra. *N.* siste furialem impetum,
alumna : vix te tacita defendit quies.
M. Fortuna fortes metuit, ignavos premit.
N. Tunc est probanda, si locum virtus habet.
M. Nunquam potest non esse virtuti locus.
N. Abiere Colchi ; coniugis nullast fides,
nihilque superest opibus e tantis tibi.
M. Medea superest : hic mare et terras vides,
ferrumque et ignes et deos et fulmina.

L. Ann. Seneca, *Medea*, ii. 1.

PASSAGE OF THE APENNINES BY HANNIBAL.

Per aspera, per ardua tendit.

83. Transeuntem Apenninum adeo atrox adorta tempestas est, ut Alpium foeditatem prope superaverit. Vento mixtus imber quom ferretur in ipsa ora, primo, quia aut arma omittenda erant, aut contra enitentes vortice intorti affligebantur, constitere : dein, quom iam spiritum includeret nec reciprocare animam sineret, aversi a vento parumper consedere. Tum vero ingenti sono caelum strepere, et inter horrendos fragores micare ignes : capti auribus et oculis metu omnes torpere. Tandem, effuso imbre, quom eo magis accensa vis venti esset, ipso illo, quo deprehensi erant, loco castra ponere necessarium visum est. Id vero laboris velut de integro initium fuit. Nam nec explicare quicquam, nec statuere poterant ; nec, quod statutum esset, manebat, omnia perscindente vento et rapiente : et mox aqua levata

vento, quom super gelida montium iuga concreta esset, tantum nivosae grandinis deiecit, ut, omnibus omissis, procumberent homines, tegminibus suis magis obruti quam tecti. Tantaque vis frigoris insecuta est, ut, ex illa miserabili hominum iumentorumque strage quom se quisque attollere ac levare vellet, diu nequiret, quia, torpentibus rigore nervis, vix flectere artus poterant. Deinde, ut tandem agitando sese movere ac recepere animos, et raris locis ignis fieri est coeptus, ad alienam opem quisque inops tendere. Biduum eo loco, velut obsessi, mansere. Multi homines, multa iumenta, elephanti quoque ex his, qui praelio ad Trebiam facto superfuerant, septem absumpti.—Liv. xxi. 58.

DEFOSSO INCUBAT AURO.

84. Vulpis cubile fodiens, dum terram eruit,
agitque plures altius cuniculos,
pervenit ad draconis speluncam ultimum,
custodiebat qui thesauros abditos.
hunc simul aspexit, Oro ut imprudentiae
des primum veniam: deinde, si pulcre vides,
quam non conveniens aurum sit vitae meae,
respondeas clementer. Quem fructum capis
hoc ex labore, quodve tantum est praemium,
ut careas somno et aevom in tenebris exigas?
Nullum, inquit ille; verum hoc a summo mihi
Iove adtributum est. Ergo nec sumis tibi,
nec ulli donas quicquam? Sic fatis placet.
nolo irascaris, libere si dixero:
Dis est iratis natus, qui est similis tibi.

abiturus illuc, quo priores abierunt,
quid mente caeca miserum torques spiritum?
tibi dico, avare, gaudium heredis tui,
qui ture superos, ipse te fraudas cibo?
qui tristis audis musicum citharae sonum,
quem tibiarum macerat iocunditas,
opsoniorum pretia cui gemitum exprimunt;
qui dum quadrantes aggeras patrimonio,
caelum fatigas sordido periurio,
qui circumcidis omnem impensam funeris,
Libitina ne quid de tuo faciat lucrum.

Phaedrus, iv. 19.

ξουθῶν μελισσῶν ἀνθεμόῤῥυτον γάνος.

85. Si quando sedem augustam servataque mella
thesauri relines, prius haustu sparsus aquarum
ora fove, fumosque manu praetende sequaces.
bis gravidos cogunt fetus, duo tempora messis,
Täygete simul os terris ostendit honestum
Pleas, et Oceani spretos pede reppulit amnes,
aut eadem sidus fugiens ubi Piscis aquosi
tristior hibernas caelo descendit in undas.
illis ira modum supra est, laesaeque venenum
morsibus inspirant, et spicula caeca relinquunt
affixae venis, animasque in volnere ponunt.
sin duram metues hiemem, parcesque futuro,
contunsosque animos et res miserabere fractas,
at suffire thymo, cerasque recidere inanes
quis dubitet? nam saepe favos ignotus adedit
stelio et lucifugis congesta cubilia blattis
immunisque sedens aliena ad pabula fucus;

aut asper crabro inparibus se inmiscuit armis,
aut dirum, tiniae, genus, aut invisa Minervae
laxos in foribus suspendit aranea casses.
quo magis exhaustae fuerint, hoc acrius omnes
incumbent generis lapsi sarcire ruinas,
conplebuntque foros, et floribus horrea texent.

VERG. *Georg.* iv. 229.

DESTRICTUS ENSIS PENDET.

86. Nam, cum quidam ex eius assentatoribus, Damocles, commemoraret in sermone copias eius, opes, maiestatem dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam aedium regiarum, negaretque unquam beatiorem quenquam fuisse, 'Visne igitur,' inquit, 'Damocle, quoniam haec te vita delectat, ipse eandem degustare, et fortunam experiri meam?' Cum se ille cupere dixisset, collocari iussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrime textili stragulo, magnificis operibus picto, abacosque complures ornavit argento auroque caelato. Tum ad mensam eximia forma pueros delectos iussit consistere, eosque, nutum ejus intuentes, diligenter ministrare. Aderant unguenta, coronae: incendebantur odores: mensae conquisitissimis epulis exstruebantur. Fortunatus sibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium, e lacunari saeta equina aptum, demitti iussit, ut impenderet illius beati cervicibus. Itaque nec pulcros illos ministratores aspiciebat, nec plenum artis argentum; nec manum porrigebat in mensam: iam ipsae defluebant coronae: denique exoravit tyrannum, ut abire liceret, quod iam beatus

nollet esse. Satisne videtur declarasse Dionysius, nihil esse ei beatum, cui semper aliquis terror impendeat? Atque ei ne integrum quidem erat, ut ad iustitiam remigraret, civibus libertatem et iura redderet: iis enim se, adolescens, improvida aetate, irretierat erratis, eaque commiserat, ut salvus esse non posset, si sanus esse coepisset.

Cicero, *Tusc.* v. 21. 61.

BRAVERY OF ONE OF THE FABII.

87. Servus ei dicitur comes unus fuisse nutritus una, eoque haud ignarus linguae eiusdem; nec quicquam aliud proficiscentes, quam summatim regionis, quae intranda erat, naturam, ac nomina principum in populis accepere; ne qua inter colloquia insigni nota haesitantes deprehendi possent. Iere pastorali habitu, agrestibus telis, falcibus gaesisque binis armati. Sed neque commercium linguae, nec vestis armorumve habitus sic eos texit, quam quod abhorrebat a fide, quemquam externum Ciminios saltus intraturum. Usque ad Camertes Umbros penetrasse dicuntur: ibi, qui essent, fateri Romanum ausum: introductumque in senatum, consulis verbis egisse de societate amicitiaque: atque inde comi hospitio acceptum, nuntiare Romanis iussum, commeatum exercitui dierum triginta praesto fore, si ea loca intrasset, iuventutemque Camertium Umbrorum in armis paratam imperio futuram. Haec quom relata consuli essent, impedimentis prima vigilia praemissis, legionibus post impedimenta ire iussis, ipse substitit cum equitatu: et luce orta, postero die obequitavit

stationibus hostium, quae extra saltum dispositae erant: et, quom satis diu tenuisset hostem, in castra sese recepit, portaque altera egressus, ante noctem agmen assequitur.—Livy, ix. 36.

VIRGILIAN ALLEGORY, BY ANTICIPATION.

88. Atridae duo fratres cluent fecisse facinus maxumum,
quom Priami patriam Pergamum, divina moenitum manu,
armis, equis, exercitu atque eximiis bellatoribus
et mille numero navium decumo anno post subegerunt.
non peius termento ruit, praeut ego erum expugnabo meum.
nunc huc prius quam senex venit, lubet lamentari, dum exeat.
O Troia! o patria! o Pergamum! o Priame, periisti, senex,
qui misere male mulcabere quadringentis Philippis aureis!
Nam, ego has tabellas opsignatas, consignatas quas fero,
non sunt tabellae, sed equos, quem misere Achivi ligneum;
Epiust Pistoclerus: ab eo haec sumta, Mnesilochus Sinost
relictus: ellum, non in busto Achilli, sed in lecto adcubat,
atque hic equos non in arcem, verum in arcam, faciet impetum:

exitium, excidium, exlecebra fiet hic equos hodie auro senis.
nostro seni huic stolido, ei profecto nomen facio ego Ilio;
miles Menelaust; ego Agamemno, idem Ulixes Lartius;
Mnesilochust Alexander, qui erit exitio rei patriae suae:
is Helenam abduxit, quoia causa nunc facio obsidium Ilio.
Nam illi itidem Ulixem audivi, ut ego sum, fuisse et audacem et malum.
dolis ego deprensus sum; ille mendicans paene inventus interit,
dum exquaerit ibi fata Iliorum. adsimiliter mi hodie obtigit.
vinctus sum, sed dolis me exemi; item ille se servavit dolis.
Ilio tria fuisse audivi fata, quae ei forent exitio;
signum ex arce si perisset; alterum autemst Troili mors;
tertium, quom portae Phrugiae limen superum scinderetur. PLAUT. *Bacchides*, v. (925).

GENUINE PLEASURE OF PLINY.

89. O Diem laetum! adhibitus in consilium a praefecto urbis audivi ex diverso agentes, summae spei, summae indolis iuvenes duos, Fuscum Salinatorem et Numidium Quadratum, egregium par, nec modo temporibus nostris, sed literis ipsis ornamento futurum.

Mira utrique probitas, constantia salva, decorus habitus, os Latinum, vox virilis, tenax memoria, magnum ingenium, iudicium aequale: quae singula mihi voluptati fuerunt: atque inter haec illud, quod et ipsi me ut rectorem, ut magistrum intuebantur, et ii qui audiebant me aemulari, meis instare vestigiis videbantur. O diem (repetam enim) laetum, notandumque mihi candidissimo calculo! Quid enim aut publice laetius quam clarissimos iuvenes nomen et famam ex studiis petere? aut mihi optatius, quam me ad recta tendentibus quasi exemplar esse propositum? Quod gaudium ut perpetuo capiam, deos oro: ab iisdem, teste te, peto ut omnes qui me imitari tanti putabunt, meliores esse quam me velint. Vale.—Plin. *Ep.* vi. 11.

ILL LUCK OF CAECINA WHEN ENGAGING WITH ARMINIUS.

90. Nox per diversa inquies, cum barbari festis epulis, laeto cantu aut truci sonore subiecta vallium ac resultantis saltus complerent, apud Romanos invalidi ignes, interruptae voces, atque ipsi passim adiacerent vallo, oberrarent tentoriis, insomnes magis quam pervigiles. Ducemque terruit dira quies: nam Quintilium Varum sanguine oblitum et paludibus emersum cernere et audire visus est velut vocantem, non tamen obsecutus et manum intendentis reppulisse. Coepta luce missae in latera legiones, metu an contumacia, locum deseruere, capto propere campo humentia ultra. Neque tamen Arminius, quamquam libero incursu, statim prorupit. Sed ut haesere caeno fossisque impedimenta, turbati circum milites,

incertus signorum ordo, utque tali in tempore sibi quisque properus et lentae adversum imperia aures, inrumpere Germanos jubet, clamitans 'en Varus et eodem iterum fato vinctae legiones!' Simul haec, et cum delectis scindit agmen, equisque maxime volnera ingerit. Illi sanguine suo et lubrico paludum lapsantes excussis rectoribus disicere obvios, proterere iacentes. Plurimus circa aquilas labor, quae neque ferri adversum ingruentia tela neque figi limosa humo poterant. Caecina dum sustentat aciem, suffosso equo delapsus circumveniebatur, ni prima legio sese opposuisset. Iuvit hostium aviditas, omissa caede praedam sectantium; enisaeque legiones vesperascente die in aperta et solida. Neque is miseriarum finis. Struendum vallum, petendus agger; amissa magna ex parte per quae egeritur humus aut exciditur caespes; non tentoria manipulis, non fomenta sauciis: infectos caeno aut cruore cibos dividentes, funestas tenebras et tot hominum milibus unum iam reliquum diem lamentabantur.

TAC. *Ann.* i. 65.

IACUIT CATILINA CADAVERE TOTO.

91. Sed confecto praelio, tum vero cerneres quanta audacia quantaque vis animi fuisset in exercitu Catilinae: nam fere, quem quisque vivus pugnando locum ceperat, eum amissa animo corpore tegebat. Pauci autem, quos medios cohors praetoria disiecerat, paullo divorsius, sed omnes tamen advorsis volneribus conciderant. Catilina vero longe a suis inter hostium cadavera repertus est, paululum etiam spirans, fero-

ciamque animi quam habuerat vivus in voltu retinens. Postremo ex omni copia neque in praelio neque in fuga quisquam civis ingenuus captus est: ita cuncti suae hostiumque vitae iuxta pepercerant. Neque tamen exercitus populi Romani laetam aut incruentam victoriam adeptus erat; nam strenuissumus quisque aut occiderat in praelio aut graviter volneratus discesserat: multi autem qui de castris visundi aut spoliandi gratia processerant, volventes hostilia cadavera amicum alii pars hospitem aut cognatum reperiebant: fuere autem qui inimicos suos cognoscerent. Ita varie per omnem exercitum laetitia, maeror, luctus atque gaudia agitabantur.—

SALUST, *Bell. Catil.* 61.

A SORCERESS.

92. Hanc ego de caelo ducentem sidera vidi,
fluminis haec rapidi carmine vertit iter:
haec cantu finditque solum, Manesque sepulcris
elicit, et tepido devocat ossa rogo:
iam tenet infernas magico stridore catervas,
iam iubet adspersas lacte referre pedem.
quom libet, haec tristi depellit nubila caelo:
quom libet, aestivo convocat orbe nives.
sola tenere malas Medeae dicitur herbas,
sola feros Hecatae perdomuisse canes.
haec mihi composuit cantus queis fallere posses.
ter cane, ter dictis [1]despue carminibus.

TIBULL. i. 2. 43.

[1] To prevent evil consequences. Cf. Theocr. vi. 39: Ὡς μὴ βασκανθῶ δὲ, τρὶς εἰς ἐμὸν ἔπτυσα κόλπον.

SCANDALOUS CONDUCT OF *SASSIA.

93. Tum vero illa egregia ac praeclara *mater palam exsultare laetitia ac triumphare gaudio coepit, victrix filiae, non libidinis. Itaque diutius suspitionibus obscuris laedi famam suam noluit : lectum illum genialem, quem biennio ante filiae nubenti straverat, in eadem domo sibi ornari et sterni, expulsa atque exturbata filia, iubet. Nubit genero socrus, nullis auspicibus, nullis auctoribus, funestis ominibus. O mulieris scelus incredibile, et, praeter hanc unam, in omni vita inauditum, o libidinem effraenatam et indomitam, o audaciam singularem ! non timuisse, si minus vim deorum hominumque famam, at illam ipsam noctem, facesque illas nuptiales, non limen cubiculi, non cubile filiae, non parietes denique ipsos, superiorum testes nuptiarum ? perfregit ac prostravit omnia cupiditate ac furore : vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. Tulit hoc commune decus iam familiae, cognationis, nominis, graviter †filius : augebatur autem eius molestia quotidianis querimoniis et assiduo fletu sororis : statuit tamen nihil sibi in tantis iniuriis ac tanto scelere matris gravius faciendum quam ut illa matre ne uteretur, ne, quam videre sine summo animi dolore non poterat, ea si matre uteretur, non solum videre sed etiam probare suo iudicio putaretur.

Cicero, *pro †Cluentio,* vi. 14.

POLLIO REGUM FACTA CANIT.

94. Motum ex Metello consule civicum
bellique causas et vitia et modos
ludumque Fortunae gravesque
principum amicitias et arma
nondum expiatis uncta cruoribus,
periculosae plenum opus aleae,
tractas et incedis per ignes
suppositos cineri doloso.
paulum severae musa tragoediae
desit theatris: mox ubi publicas
res ordinaris, grande munus
Cecropio repetes cothurno,
insigne maestis praesidium reis
et consulenti, Pollio, curiae,
cui laurus aeternos honores
Delmatico peperit triumpho.
iam nunc minaci murmure cornuum
perstringis aures, iam litui strepunt,
iam fulgor armorum fugaces
terret equos equitumque voltus.
audire magnos iam videor duces
non indecoro pulvere sordidos,
et cuncta terrarum subacta
praeter atrocem animum Catonis.
Iuno et deorum quisquis amicior
Afris inulta cesserat impotens
tellure victorum nepotes
rettulit inferias Iugurthae.

Hor. *C.* ii. 1.

COMPARISON OF DEMOSTHENES AND CICERO.

95. Oratores vero vel praecipue Latinam eloquentiam parem facere Graecae possunt: nam Ciceronem cuicunque eorum fortiter opposuerim: nec ignoro, quantam mihi concitem pugnam, cum praesertim non id sit propositi ut eum Demostheni comparem hoc tempore: neque enim attinet, cum Demosthenem in primis legendum vel ediscendum potius putem. Quorum ego virtutes plerasque arbitror similes, consilium, ordinem, dividendi, praeparandi, probandi rationem, omnia denique quae sunt inventionis. In eloquendo est aliqua diversitas, densior ille, hic copiosior; ille concludit adstrictius, hic latius; pugnat ille acumine semper, hic frequenter et pondere; illic nihil detrahi potest, hic nihil adici; curae plus in illo, in hoc naturae. Salibus certe et commiseratione, quae duo plurimum in adfectibus valent, vicimus. Et fortasse epilogos ille mos civitatis abstulerit, sed et nobis illa, quae Attici mirantur, diversa Latini sermonis ratio minus permiserit. In epistulis quidem quamquam sunt utriusque, dialogisve, in quibus nihil ille, nulla contentio est. Cedendum vero in hoc, quod et prior fuit et ex magna parte Ciceronem, quantus est, fecit. Nam mihi videtur M. Tullius, cum se totum ad imitationem Graecorum contulisset, effinxisse vim Demosthenis, copiam Platonis, iucunditatem Isocratis. Iam in omnibus quae dicit tanta auctoritas inest ut dissentire pudeat, nec advocati studium sed testis aut iudicis adferat fidem, cum interim haec omnia, quae vix singula quisquam intentissima cura consequi posset, fluunt inlaborata,

et illa, qua nihil umquam pulcrius auditum est, oratio prae se fert tamen felicissimam facilitatem. Quare non inmerito ab hominibus aetatis suae regnare in iudiciis dictus est, apud posteros vero id consecutus, ut Cicero iam non hominis nomen, sed eloquentiae habeatur. Hunc igitur spectemus, hoc propositum nobis sit exemplum, ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit.—Quintil. x. 1. 105–108, 111, 112.

INDIGNATION OF IMILCE, WIFE OF HANNIBAL, AT THE POSSIBILITY OF THEIR SON BEING SACRIFICED.

96. I nunc, Ausonios ferro populare Penates,
et vetitas molire vias! i, pacta resigna,
per cunctos iurata deos! sic praemia reddit
Karthago, et tales iam nunc tibi solvit honores.
quae porro haec pietas, delubra adspergere tabo?
heu primum scelerum causae mortalibus aegris,
naturam nescire deum! iusta ite precati
ture pio, caedumque feros avertite ritus:
mite et cognatum est homini deus. Hactenus, oro,
sit satis ante aras caesos vidisse iuvencos;
aut si velle nefas superos fixumque sedetque,
me, me, quae genui, vestris absumite votis.
cur spoliare iuvat Libycas hac indole terras?
an flendae magis Aegates, et mersa profundo
Punica regna forent, olim si sorte cruenta
esset tanta mei virtus praecepta mariti?

Silius, iv. 787.

OH! THE SPRING-TIME.

97. Iam veris comites, quae mare temperant,
impellunt animae lintea Thraciae,
iam nec prata rigent, nec fluvii strepunt
hiberna nive turgidi,
nidum ponit Ityn flebiliter gemens
infelix avis et Cecropiae domus
aeternum obprobrium, quod male barbaras
regum est ulta libidines.
ducunt in tenero gramine pinguium
custodes ovium carmina fistula,
delectantque deum cui pecus et nigri
colles Arcadiae placent.
adduxere sitim tempora, Vergili;
sed pressum Calibus ducere Liberum
si gestis, iuvenum nobilium cliens,
nardo vina mereberis.
nardi parvus onyx eliciet cadum
qui nunc Sulpiciis accubat horreis,
spes donare novas largus amaraque
curarum eluere efficax.
ad quae si properas gaudia, cum tua
velox merce veni: non ego te meis
immunem meditor tingere poculis
plena dives ut in domo.
verum pone moras et studium lucri,
nigrorumque memor, dum licet, ignium
misce stultitiam consiliis brevem.
dulce est desipere in loco. Hor. *C.* iv. 12.

PALMITE DEBUERAS ABSTINUISSE, CAPER.

98. Texendae saepes etiam et pecus omne tenendum,
praecipue dum frons tenera imprudensque laborum,
cui, super indignas hiemes solemque potentem,
silvestres uri assidue capraeque sequaces
illudunt, pascuntur oves avidaeque iuvencae.
frigora nec tantum cana concreta pruina,
aut gravis incumbens scopulis arentibus aestas,
quantum illi nocuere greges durique venenum
dentis et admorso signata in stirpe cicatrix.
non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
caeditur, et veteres ineunt proscenia ludi,
praemiaque ingeniis pagos et compita circum
Thesidae posuere, atque inter pocula laeti
mollibus in pratis unctos saluere per utres.
nec non Ausonii, Troia gens missa, coloni,
versibus incomtis ludunt risuque soluto,
oraque corticibus sumunt horrenda cavatis;
et te, Bacche, vocant, per carmina laeta, tibique
oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.
hinc omnis largo pubescit vinea fetu,
complentur vallesque cavae saltusque profundi,
et quocunque deus circa caput egit honestum.
ergo rite suum Baccho dicemus honorem
carminibus patriis, lancesque et liba feremus,
et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram,
pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis.

VERG. *Georg.* ii. 371.

SEMEL INSANIVIMUS OMNES.

99. Ne sit ancillae tibi amor pudori,
Xanthia Phoceu, prius insolentem
serva Briseis niveo colore movit Achillem.
movit Aïacem Telamone natum
forma captivae dominum Tecmessae,
arsit Atrides medio in triumpho virgine rapta,
barbarae postquam cecidere turmae
Thessalo victore, et ademptus Hector
tradidit fessis leviora tolli Pergama Grais.
nescias an te generum beati
Phyllidis flavae decorent parentes,
regium certe genus et Penates maeret iniquos.

Hor. *Carm.* ii. 4.

STEMMATA QUID FACIUNT?

100. Si quid aliud est in philosophia boni, hoc est, quod stemma non inspicit. Omnes, si ad primam originem revocentur, a dis sunt. Eques Romanus es, et ad hunc ordinem tua te perduxit industria : at mehercules multis quattuordecim sunt clausi. Non omnes curia admittit : castra quoque quos ad laborem et periculum recipiunt fastidiose legunt. Bona mens omnibus patet : omnes ad hoc sumus nobiles : nec reicit quenquam philosophia, nec eligit : omnibus lucet.—Seneca, *Ep.* 44.

FISHING IN THE MOSELLE.

101. Iam vero accessus faciles qua ripa ministrat,
scrutatur toto populatrix turba profundo :
heu male defensus penetrali flumine piscis !
hic medio procul amne trahens humentia lina,
nodosis decepta plagis examina verrit ;
ast hic tranquillo qua labitur agmine flumen,
ducit corticeis fluitantia retia signis.
ille autem scopulis subiectas pronus in undas
inclinat lentae convexa cacumina virgae,
indutos escis iaciens letalibus hamos.
quos ignara doli postquam vaga turba natantum
rictibus invasit, patulaeque per intima fauces
sera occultati senserunt volnera ferri ;
dum trepidant, subit indicium, crisposque tremori
vibrantis saetae nutans consentit arundo.
nec mora, et excussam stridenti verbere praedam
dextera in obliquum captat puer : excipit ictum
spiritus, ut fractis quondam per inane flagellis
aura crepat motoque assibilat äëre ventus.
exsultant udae super arida saxa rapinae
luciferique pavent letalia tela diei :
quique sub amne suo mansit vigor, äëre nostro
segnis anhelatis vitam consumit in auris.

Auson. *Idyll.* x. 240.

CONSTERNATION IN ROME AFTER THE DEFEAT AT THE TRASIMENE LAKE.

102. Romae, ad primum nuntium cladis, cum ingenti terrore ac tumultu concursus in forum populi est factus. Matronae vagae per vias quae repens

clades allata quaeve fortuna exercitus esset obvios percunctantur. Et cum frequentis contionis modo turba in comitia et curiam versa magistratus vocaret, tandem haud multo ante solis occasum M. Pomponius praetor *Pugna* inquit *magna victi sumus*: et quanquam nihil certius ex eo auditum est, tamen alius ab alio impleti rumoribus domos referunt *consulem cum magna parte copiarum caesum: superesse paucos, aut fuga passim per Etruriam sparsos, aut captos ab hoste.* Quot casus exercitus victi fuerant, tot in curas dispertiti eorum animi erant, quorum propinqui sub C. Flaminio consule meruerant, ignorantium quae cuiusque suorum fortuna esset; nec quisquam satis certum habet quid aut speret aut timeat. Postero, ac deinceps aliquot diebus, ad portas maior prope mulierum quam virorum multitudo stetit, aut suorum aliquem aut nuntios de his opperiens; circumfundebanturque obviis sciscitantes, neque avelli, utique ab notis, prius quam ordine omnia inquisissent, poterant. Inde varios voltus digredientium ab nuntiis cerneres, ut cuique aut laeta aut tristia nuntiabantur, gratulantesque aut consolantes redeuntibus domos circumfusos. Feminarum praecipue et gaudia insignia erant et luctus. Unam in ipsa porta sospiti filio repente oblatam in conspectu eius exspirasse ferunt: alteram, cui mors filii falso nuntiata erat, maestam sedentem domi, ad primum conspectum redeuntis filii gaudio nimio exanimatam.

LIV. xxii. 7.

THE REAL DERIVATION OF APRILIS.

103. Quo non livor adit? sunt qui tibi mensis honorem
eripuisse velint invideantque, Venus.
nam, quia ver aperit tunc omnia, densaque cedit
frigoris asperitas, fetaque terra patet,
Aprilem memorant ab aperto tempore dictum,
quem Venus iniecta vindicat alma manu.
illa quidem totum dignissima temperat orbem,
illa tenet nullo iura minora deo,
iuraque dat caelo, terrae, natalibus undis,
perque suos initus continet omne genus:
illa deos omnes, longum est numerare, creavit,
illa satis causas arboribusque dedit;
illa rudes animos hominum contraxit in unum,
et docuit iungi cum pare quemque sua.
deposita taurus sequitur feritate iuvencam,
quem toti saltus quem nemus omne tremit.
vis eadem lato quodcunque sub aequore vivit
servat et innumeris piscibus implet aquas.
prima feros habitus homini detraxit: ab illa
venerunt cultus mundaque cura sui.
hanc quisquam titulo mensis spoliare secundi
audeat? a nobis sit procul iste furor!
quid quod ubique potens templisque frequentibus aucta
urbe tamen nostra ius dea maius habet?
pro Troia, Romane, tua Venus arma ferebat
cum gemuit teneram cuspide laesa manum.
caelestesque duas Troiano iudice vicit.
A! nolim victas hoc meminisse deas!

Ov. *Fast.* iv. 85.

THE MISCHIEF OF SUPERSTITION PROVED BY THE SACRIFICE OF IPHIGENIA.

104. Illud in his rebus vereor, ne forte rearis
impia te rationis inire elementa viamque
indugredi sceleris, quod contra saepius illa
relligio peperit scelerosa atque impia facta.
Aulide quo pacto Triviai virginis aram
Iphianassai turparunt sanguine foede
ductores Danaum delecti, prima virorum.
cui simul infula virgineos circumdata comptus
ex utraque pari malarum parte profusast,
et maestum simul ante aras adstare parentem
sensit et hunc propter ferrum celare ministros
aspectuque suo lacrumas effundere civis,
muta metu terram genibus summissa petebat.
nec miserae prodesse in tali tempore quibat
quod patrio princeps donarat nomine regem;
nam sublata virum manibus tremebundaque ad aras
deductast, non ut sollemni more sacrorum
perfecto posset claro comitari Hymenaeo,
sed casta inceste nubendi tempore in ipso
hostia concideret mactatu maesta parentis,
exitus ut classi felix faustusque daretur.
tantum relligio potuit suadere malorum.

[1] LUCRET. i. 80.

[1] Cf. Aesch. *Ag.* 244 seqq. Tennyson's *Dream of Fair Women.*

'O SI, O SI,' OTIOSI.

105. Si tecum mihi, care Martialis,
securis liceat frui diebus,
si disponere tempus otiosum
et verae pariter vacare vitae:
nec nos atria, nec domos potentum,
nec lites tetricas forumque triste
nossemus, nec imagines superbas;
sed gestatio, fabulae, libelli,
campus, porticus, umbra, Virgo, thermae,
haec essent loca semper, hi labores.
nunc vivit necuter sibi, bonosque
soles effugere atque abire sentit,
qui nobis pereunt et inputantur.
quisquam vivere cum sciat, moratur?

MARTIAL, v. (20).

τῆς γὰρ καὶ γένος ἐσμέν.

106. Aeneadum genetrix, hominum divomque voluptas,
alma Venus, caeli subter labentia signa
quae mare navigerum, quae terras frugiferenteis
concelebras, per te quoniam genus omne animantum
concipitur visitque exortum lumina solis.
te, dea, te fugiunt venti, te nubila caeli
adventumque tuum, tibi suavis daedala tellus
summittit flores, tibi rident aequora ponti
placatumque nitet diffuso lumine caelum.

nam simul ac species patefactast verna diei
et reserata viget genitabilis aura Favoni,
aëriae primum volucres te, diva, tuumque
significant initum perculsae corda tua vi.

LUCRET, i. *init.*

CICERO GIVES L. CALP. PISO CAESONINUS HIS OPINION.

107. Da te populo, committe ludis. Sibilum metuis? Ubi sunt vestrae scholae? ne acclametur? ne id quidem est curare philosophi. Manus tibi ne afferantur times. Dolor enim est malum, ut disputas: existimatio, dedecus, infamia, turpitudo, verba sunt atque ineptiae. Sed de hoc non dubito. Non audebit accedere ad ludos. Convivium publicum non dignitatis gratia inibit, nisi forte ut cum P. Clodio cenet, sed plane animi sui caussa: ludos nobis idiotis relinquet: solet enim in disputationibus suis oculorum et aurium delectationi abdominis voluptates anteferre. Nam, quod vobis iste tantummodo improbus, crudelis olim furunculus, nunc vero etiam rapax, quod sordidus, quod contumax, quod superbus, quod fallax, quod perfidiosus, quod impudens, quod audax esse videatur: nihil scitote esse luxuriosius, nihil libidinosius, nihil posterius, nihil nequius. Luxuriam autem in isto nolite hanc cogitare: est enim quaedam, quanquam omnis est vitiosa atque turpis, tamen ingenuo ac libero dignior. Nihil apud hunc lautum, nihil elegans, nihil exquisitum: laudabo inimicum, ne magnopere quidem quidquam, praeter libidines, exquisitum. Toreuma nullum: maximi

calices, et hi, ne contemnere suos videatur, Placentini: exstructa mensa, non conchyliis aut piscibus, sed multa carne subrancida; servi sordidati ministrant, nonnulli etiam senes: idem cocus, idem atriensis: pistor domi nullus, nulla cella: panis et vinum a propola atque de cupa: Graeci stipati, quini in lectulis, saepe plures: ipse solus, bibiturus quae eodem de dolio ministrentur. Ubi galli cantum audivit, avum suum revixisse putat: mensam tolli iubet.

Cicero, *In Pisonem*, xxvii. 65.

DIVINATION AMONG THE GERMANS.

108. Auspicia sortesque, ut qui maxime, observant. Sortium consuetudo simplex. Virgam frugiferae arbori decisam in surculos amputant, eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuito spargunt. Mox, si publice consuletur, sacerdos civitatis, sin privatim, ipse pater familiae precatus deos caelumque suspiciens ter singulos tollit, sublatos secundum impressam ante notam interpretatur. Si prohibuerunt, nulla de eadem re in eundem diem consultatio; sin permissum, auspiciorum adhuc fides exigitur. Et illud quidem etiam hic notum, avium voces volatusque interrogare. Proprium gentis equorum quoque praesagia ac monitus experiri. Publice aluntur iisdem nemoribus ac lucis, candidi et nullo mortali opere contacti, quos pressos sacro curru sacerdos ac rex vel princeps civitatis comitatur, hinnitusque ac fremitus observant. Nec ulli auspicio maior fides, non solum apud plebem, sed apud proceres, apud sacerdotes: se enim ministros

deorum, illos conscios putant. Est et alia observatio auspiciorum, qua gravium bellorum eventus explorant. Eius gentis, cum qua bellum est, captivum quoquo modo interceptum cum electo popularium suorum patriis quemque armis committunt. Victoria huius vel illius pro praeiudicio accipitur.—Tac. *Germ.* x.

DIVINI GAUDIA RURIS.

109. Rura cano rurisque deos, his vita magistris
edidicit querna pellere glande famem:
illi compositis primum docuere tigillis
exiguam viridi fronde operire domum:
illi etiam tauros primi docuisse feruntur
servitium, et plaustro supposuisse rotam.
tunc victus abiere feri: tunc consita pomus:
tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas:
aurea tunc pressos pedibus dedit uva liquores,
mixtaque securo est sobria lympha mero.
rura ferunt messes, calidi quom sideris aestu
deponit flavas annua terra comas.
rure levis verno flores apis ingerit alveo
compleat ut dulci sedula melle favos.
agricola assiduo primum satiatus aratro
cantavit certo rustica verba pede;
et satur arenti primum est modulatus avena
carmen, ut ornatos diceret ante deos.
agricola et minio suffusus, Bacche, rubenti
primus inexperta duxit ab arte choros.
huic datus a pleno, memorabile munus, ovili,
dux hircus pecoris; duxerat hircus oves.
rure puer verno primum de flore coronam

fecit et antiquis imposuit Laribus.
rure etiam, teneris curam exhibitura puellis,
molle gerit tergo lucida vellus ovis;
hinc et femineus labor est: hinc pensa colusque,
fusus et apposito pollice versat opus.
atque aliqua assiduae textis operata Minervae
cantat, et applauso tela sonat latere.

TIBULL. ii. 1. 37.

INGENIOUS DEVICE FOR EXERCISING HORSES.

110. Cum in castello Phrygiae circumsederetur Eumenes et vereretur ne uno loco manens equos militares perderet, quod spatium non esset agitandi, callidum fuit eius inventum quemadmodum stans iumentum calefieri exercerique posset, libentius et cibo uteretur, a corporis motu non removeretur. Substringebat caput loro altius quam ut prioribus pedibus plane terram posset attingere, deinde post verberibus cogebat exsultare, et calces remittere, qui motus non minus sudorem excutiebat quam si in spatio decurreret. Quo factum est, quod omnibus mirabile est visum, ut iumenta aeque nitida ex castello educeret, cum complures menses in obsidione fuisset, ac si in campestribus ea locis habuisset.

CORN. NEP. *Eumenes*, v.

Ἁ Πενία τὰς τέχνας ἐγείρει.

111. Nec fonte labra prolui caballino,
nec in bicipiti somniasse Parnaso
memini, ut repente sic poëta prodirem.

Heliconiadasque pallidamque Pirenen
illis relinquo quorum imagines lambunt
hederae sequaces, ipse semipaganus
ad sacra vatum carmen affero nostrum.
Quis expedivit psittaco suum χαῖρε,
picasque docuit nostra verba conari?
magister artis ingenique largitor
venter, negatas artifex sequi voces.
quod si dolosi spes refulserit numi,
corvos poëtas et poëtrias picas
cantare credas Pegaseium nectar.

PERSIUS, *Prolog.*

What is the metre of the above? Why so called? By whom invented? How does Ovid[1] describe it?

LITTUS 'HYLA, HYLA,' OMNE SONABAT.

112. Ferunt olim Pagases navalibus Argo
egressam longe Phasidos isse viam;
et iam praeteritis labentem Athamantidos undis
Mysorum scopulis adplicuisse ratem.
hic manus heroum placidis ut constitit oris,
mollia composita litora fronde tegit.
at comes invicti iuvenis processerat ultra
raram sepositi quaerere fontis aquam.
hic erat Arganthi Pege sub vertice montis
grata domus Nymphis humida Thyniasin,
quam supra nullae pendebant debita curae
roscida desertis poma sub arboribus,

[1] See Ov. *Rem. Am.* 378.

et circum irriguo surgebant lilia prato
  candida, purpureis mixta papaveribus,
quae modo decerpens tenero pueriliter ungui
  proposito florem praetulit officio;
et modo formosis incumbens nescius undis
  errorem blandis tardat imaginibus.
tandem haurire parat demissis flumina palmis
  innixus dextro plena trahens humero:
cuius ut accensae Dryades candore puellae
  miratae solitos destituere choros,
prolapsum leviter facili traxere liquore:
  tum sonitum rapto corpore fecit Hylas:
cui procul Alcides iterat responsa: sed illi
  nomen ab extremis fontibus aura refert.

[1] PROPERT. i. 20.

PLEASURES AND ADVANTAGES OF LITERATURE.

113. Ego vero fateor me his studiis esse deditum. Ceteros pudeat si qui ita se litteris abdiderunt ut nihil possint ex his neque ad communem afferre fructum neque in adspectum lucemque proferre. Me autem quid pudeat qui tot annos ita vivo ut ab nullius unquam me tempore aut commodo aut otium meum abstraxerit aut voluptas avocarit aut denique somnus retardarit? Quare quis tandem me reprehendat aut quis mihi iure succenseat si, quantum ceteris ad suas res obeundas, quantum ad festos dierum ludos celebrandos, quantum ad alias voluptates et ad ipsam requiem animi et corporis conceditur temporum, quantum alii tribuunt tempestivis

[1] Cf. Theocr. xiii.

conviviis, quantum denique aleae, quantum pilae, tantum mihi egomet ad haec studia recolenda sumpsero? Ego nisi multorum praeceptis multisque litteris mihi ab adolescentia persuasissem nihil esse in vita magnopere expetendum nisi laudem atque honestatem, in ea autem persequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis atque exsilii parvi esse ducenda, nunquam me pro salute vestra in tot ac tantas dimicationes atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus obiecissem. Sed pleni omnes sunt libri, plenae sapientium voces, plena exemplorum vetustas, quae iacerent in tenebris omnia nisi litterarum lumen accederet. Quaeret quispiam, Quid? illi ipsi summi viri, quorum virtutes litteris proditae sunt, istane doctrina quam tu laudibus effers eruditi fuerunt? difficile est hoc de omnibus confirmare. Contendo ego cum ad naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quaedam conformatioque doctrinae, tum illud nescio quid praeclarum ac singulare solere exsistere. Haec studia adolescentiam agunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solamen praebent: delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.

Cicero, *pro Archia*, vi. 12.

DOMESTIC HAPPINESS OF Q. CICERO.

114. Venio ad transversum illum extremae epistulae tuae versiculum, in quo me admones de sorore. Quae res se sic habet: ut veni in Arpinas, cum ad me frater venisset, in primis nobis sermo, isque

multus, de te fuit; ex quo ego veni ad ea quae fueramus ego et tu inter nos de sorore in Tusculano locuti; nihil tam vidi mite, nihil tam placatum, quam tum meus frater erat in sororem tuam, ut etiam, si qua fuerat ex ratione sumptus offensio, non appareret. Illo sic die; postridie ex Arpinati profecti sumus; ut in Arcano Quintus maneret, dies fecit, ego Aquini, sed prandimus in Arcano. Nosti hunc fundum; quo ut venimus, humanissime Quintus 'Pomponia,' inquit 'tu invita mulieres, ego accivero pueros.' Nihil potuit, mihi quidem ut visum est, dulcius, idque cum verbis, tum etiam animo ac voltu; at illa audientibus nobis 'ego sum' inquit 'hic hospita.' Id autem ex eo, ut opinor, quod antecesserat Statius, ut prandium nobis videret. Tum Quintus 'en' inquit mihi 'haec ego patior cotidie.' Dices 'quid, quaeso, istuc erat?' magnum: itaque me ipsum commoverat; sic absurde et aspere verbis voltuque responderat. Dissimulavi dolens. Discubuimus omnes praeter illam, cui tamen Quintus de mensa misit; illa reiecit. Quid multa? nihil meo fratre lenius, nihil asperius tuo sorore mihi visum est, et multa praetereo, quae tum mihi maiori stomacho quam ipsi Quinto fuerunt. Ego inde Aquinum; Quintus in Arcano remansit et Aquinum ad me postridie mane venit mihique narravit nec secum illam dormisse voluisse, et, cum discessura esset, fuisse eiusmodi qualem ego vidissem.

Cicero, *ad Att.* v. 1.

QUAE MAXIMA CREDIS ESSE MALA?

115. In surditate vero quidnam est mali? Erat surdaster M. Crassus, sed aliud molestius quod male audiebat, etiam si, ut mihi videbatur, iniuria. Nostri Graece fere nesciunt, nec Graeci Latine. Ergo hi in illorum et illi in horum sermone surdi, omnesque id nos in iis linguis, quas non intelligimus, quae sunt innumerabiles, surdi profecto sumus. At vocem citharoedi non audiunt. Ne stridorem quidem serrae, tum quom acuitur, aut grunnitum, quom iugulatur, suis, nec, quom quiescere volunt, fremitum murmurantis maris. Et si cantus eos forte delectant, primum cogitare debent, antequam hi sint inventi, multos beate vixisse sapientes: deinde multo maiorem percipi posse legendis his quam audiendis, voluptatem. Tum, ut paullo ante caecos ad aurium traducebamus voluptatem, sic licet surdos ad oculorum. Etenim qui secum loqui poterit, sermonem alterius non requiret. Congerantur in unum omnia, ut idem oculis et auribus captus sit, prematur etiam doloribus acerrimis corporis, qui primum per se ipsi plerumque conficiunt hominem, sin forte longinquitate producti vehementius tamen torquent quam ut caussa sit cur ferantur, quid est tandem, di boni, quod laboremus? Portus enim praesto est, quoniam mors ibidem est aeternum nihil sentiendi receptaculum. Theodorus Lysimacho mortem minitanti; Magnum vero, inquit, effecisti, si cantharidis vim consecutus es. Paulus Persi deprecanti ne in triumpho duceretur In tua id quidem potestate est. Multa primo die, quom de ipsa morte quaereremus,

non pauca etiam postero, quom ageretur de dolore, sunt dicta de morte; quae qui recordetur haud sane periculum est ne non mortem aut optandam aut certe non timendam putet.

CICERO, *Tusc. Disp.* v. 40. 116.

NIL EGO CONTULERIM IUCUNDO SANUS AMICO.

116. Haece locutus vocat quocum bene saepe libenter
mensam sermonesque suos rerumque suarum
comiter impertit, magnam cum lassus diei
partem fuisset de summis rebus regendis
consilio indu foro lato sanctoque senatu,
cui res audacter magnas parvasque iocumque
eloqueretur et cuncta malaque et bona dictu
evomeret si cui vellet tutoque locaret;
quorum multa volupe et gaudia clamque palamque:
ingenium cui nulla malum sententia suadet
ut faceret facinus levis, haut malus, doctus, fidelis,
suavis homo, facundus, suo contentus, beatus,
scitus, secunda loquens in tempore, commodus, verbum
paucum, multa tenens antiqua sepulta, vetustas
quem facit et mores veteresque novosque tenentem,
multorum veterum leges divumque hominumque,
prudenter qui dicta loquive tacereve posset.
hunc inter pugnas Servilius sic compellat.

ENNIUS, *apud Aul. Gell.* xii. 4.

οὐδὲν πατρῴας ἀνδρὶ φίλτερον χθονός.

117. Hoc caverat mens provida Reguli
dissentientis condicionibus
foedis et exemplo trahentis
perniciem veniens in aevum,
si non periret immiserabilis
captiva pubes. 'Signa ego Punicis
adfixa delubris, et arma
militibus sine caede' dixit
'direpta vidi; vidi ego civium
retorta tergo bracchia libero,
portasque non clausas, et arva
Marte coli populata nostro.
auro repensus scilicet acrior
miles redibit: flagitio additis
damnum: nec amissos colores
lana refert medicata fuco,
nec vera virtus, cum semel excidit,
curat reponi deterioribus.
si pugnat extricata densis
cerva plagis, erit ille fortis
qui perfidis se credidit hostibus,
et Marte Poenos proteret altero
qui lora restrictis lacertis
sensit iners timuitque mortem.
hic unde vitam sumeret inscius
pacem duello miscuit. O pudor!
O magna Karthago, probrosis
altior Italiae ruinis!'

HOR. *C.* iii. 5. 13–40.

VESPASIAN'S LOVE OF MONEY.

118. Sola est in qua merito culpetur pecuniae cupiditas. Non enim contentus omissa sub Galba vectigalia revocasse, nova et gravia addidisse, auxisse tributa provinciis, nonnullis et duplicasse, negotiationes quoque vel privato pudendas propalam exercuit, coëmendo quaedam, tantum ut pluris postea distraheret. Ne candidatis quidem honores, reisve tam innoxiis quam nocentibus, absolutiones venditare cunctatus est. Creditur etiam procuratorum rapacissimum quemque ad ampliora officia ex industria solitus promovere, quo locupletiores mox condemnaret, quibus quidem volgo *pro spongiis* dicebatur *uti, quod quasi et siccos madefaceret et exprimeret humentes.* Quidam natura cupidissimum tradunt, idque exprobratum ei a sene bubulco, qui, negata sibi gratuita libertate quam imperium adeptum suppliciter orabat, proclamaverit, *Vulpem pilum mutare, non mores.* Sunt contra qui opinentur ad manubias et rapinas necessitate compulsum, summa aerarii fiscique inopia, de qua testificatus sit initio statim Principatus, professus quadringenties millies opus esse ut Respublica stare posset. Quod et verisimilius videtur, quando et male partis optime usus est.—Sueton. *Vesp.* 16.

INTERVIEW BETWEEN CICERO AND POMPEIUS, B.C. 48.

119. Dionysium misi ad te, frugi hominem, ac, ne libertinum laudare videar, plane virum bonum. Pompeium vidi iv. Id. Dec. fuimus una horas duas

fortasse; magna laetitia mihi visus est affici meo adventu: de triumpho hortari, suscipere partes suas: monere, ne ante in senatum accederem quam rem confecissem, ne dicendis sententiis aliquem tribunum alienarem. Quid quaeris? in hoc officio sermonis nihil potuit esse prolixius. De republica autem ita mecum locutus est quasi non dubium bellum haberemus. Nihil ad spem concordiae; plane illum ab se alienatum, cum ante intelligeret, tum vero proxime iudicasse: venisse Hirtium a Caesare, qui esset illi familiarissimus, ad se non accessisse: et, cum ille a. d. viii. Id. Dec. vesperi venisset, Balbus de tota re constituisset a. d. vii. ad Scipionem ante lucem venire, multa de nocte eum profectum esse ad Caesarem. Hoc illi *τεκμηριῶδες* videbatur esse alienationis. Quid multa? Nihil me aliud consolatur nisi quod illum, cui etiam inimici alterum consulatum, fortuna summam potentiam dederat, non arbitror fore tam amentem, ut haec in discrimen adducat. Quod si ruere coeperit, ne ego multa timeo quae non audeo scribere. Sed, ut nunc est, a. d. iii. Non. Ian. ad Urbem cogito.—Cicero, *ad Att.* vii. 4.

DIVINAE PALLADIS ARTES.

120. Una dies media est, et fiunt sacra Minervae,
nominaque a iunctis quinque diebus habent.
sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro:
causa, quod est illa nata Minerva die.
altera tresque super strata celebrantur arena:
ensibus exertis bellica laeta dea est.

* * * * * *

Pallade placata lanam mollire, puellae
discitis et plenas exonerare colos.
illa etiam stantes radio percurrere telas
erudit, et rarum pectine denset opus.
hanc cole, qui maculas laesis de vestibus aufers:
hanc cole velleribus quisquis aëna paras.
nec quisquam invita faciet bene vincula plantae
Pallade, sit Tychio doctior ille licet;
et licet antiquo manibus collatus Epeo
sit prior, irata Pallade mancus erit.
vos quoque, Phoebea morbos qui pellitis arte,
munera de vestris pauca referte deae.

*   *   *   *   *   *

Quique moves caelum tabulamque coloribus uris,
quique facis docta mollia saxa manu.

Ov. *Fast.* iii. 809.

CAPTURE OF SYRACUSE, B.C. 212, AND DEATH OF ARCHIMEDES.

121. Marcellus, consilio advocato et adhibitis etiam Syracusanis, qui per seditiones pulsi ab domo intra praesidia Romana fuerant, respondit, ‘non plura per annos quinquaginta benefacta Hieronis quam paucis his annis maleficia eorum qui Syracusas tenuerint erga populum Romanum esse: sed pleraque eorum quo debuerint recidisse, foederumque ruptorum ipsos ab se graviores multo quam populus Romanus voluerit poenas exegisse: se quidem tertium annum circumsedere Syracusas, non ut populus Romanus servam civitatem haberet sed ne alienigenarum trans-

fugarumque duces captam et oppressam tenerent. Quid potuerint Syracusani facere, exemplo vel eos esse Syracusanorum, qui intra praesidia Romana fuerint, vel Hispanum ducem Moericum, qui praesidium tradiderit, vel ipsorum Syracusanorum postremo serum quidem sed forte consilium: sibi omnium laborum periculorumque circa moenia Syracusana terra marique tam diu exhaustorum nequaquam tantum fructum esse quod capere Syracusas potuisset.' Inde quaestor cum praesidio ad Nasum et accipiendam pecuniam regiam custodiendamque missus: urbs diripienda militi data est, custodibus divisis per domos eorum, qui intra praesidia Romana fuerunt. Quom multa irae multa avaritiae foeda exempla ederentur, Archimeden memoriae proditum est in tanto tumultu, quantum captae urbis strepitus in discursu diripientium militum ciere poterat, intentum formis, quas in pulvere descripserat, ab ignaro milite quis esset interfectum; aegre id Marcellum tulisse sepulturaeque curam habitam et propinquis etiam inquisitis honori praesidioque nomen ac memoriam eius fuisse. Hoc maxime modo Syracusae captae, in quibus praedae tantum fuit, quantum vix capta Carthagine tum fuisset, cum qua viribus aequis certabatur.—Livy, xxv. 31.

Δούλου δὲ χεῖρον οὐδὲν, οὐδὲ κἀγαθοῦ.

122. O Corydon, Corydon, secretum divitis ullum
esse putas? servi ut taceant, iumenta loquuntur
et canis et postes et marmora. 'Claude fenestras,

vela tegant rimas, iunge ostia, tollito lumen
e medio' clamant omnes! Prope nemo recumbat,
quod tamen ad cantum galli facit ille secundi,
proximus ante diem caupo sciet: audiet et quae
finxerunt pariter librarius, archimagiri,
carptores. Quod enim dubitant componere crimen
in dominos, quotiens rumoribus ulciscuntur baltea?
vivendum recte est, cum propter plurima, tunc his
praecipue causis, ut linguas mancipiorum
contemnas, nam lingua mali pars pessima servi;
deterior tamen hic qui liber non erit illis
quorum animas et farre suo custodit et aere.

IUVEN. ix. 102.[1]

DEATH SCENE OF TIBERIUS.—SOME REMARKS ON HIM.

123. Iam Tiberium corpus, iam vires, nondum dissimulatio deserebat: idem animi rigor: sermone ac voltu intentus quaesita interdum comitate quamvis manifestam defectionem tegebat, mutatisque saepius locis tandem apud promontorium Miseni consedit, in villa cui L. Lucullus quondam dominus. Illic eum adpropinquare supremis tali modo compertum. Erat medicus, arte insignis, nomine Charicles, non quidem regere valetudines principis solitus, consilii tamen

[1] Parodied from Virgil (*Ecl.* ii. 69). For other parodies see i. 25 (*ib.* i. 29); v. 138 (*Aen.* iv. 328); iii. 162, x. 218 (*G.* iv. 167; *Aen.* i. 82); iii. 198 (*Aen.* ii. 311); vii. 15 (Ov. *M.* xiii. 1).

copiam praebere. Is, velut propria ad negotia digrediens, et, per speciem officii, manum complexus pulsum venarum adtigit, neque fefellit: nam Tiberius, incertum an offensus tantoque magis iram premens instaurari epulas iubet, discumbitque ultra solitum, quasi honori abeuntis amici tribueret. Charicles tamen, labi spiritum nec ultra biduum duraturum, Macroni firmavit. Inde cuncta conloquiis inter praesentes, nuntiis apud legatos et exercitus festinabantur. xvii. kal. Apr. interclusa anima creditus est mortalitatem explevisse, et multo gratantum concursu ad capienda imperii primordia G. Caesar egrediebatur, cum repente adfertur redire Tiberio vocem ac visus, vocarique qui recreandae defectioni cibum adferrent. Pavor hinc in omnes, et ceteri passim dispergi, se quisque maestum aut nescium fingere: Caesar, in silentium fixus, a summa spe novissima expectabat: Macro intrepidus opprimi senem iniectu multae vestis iubet, discedique ab limine. Sic Tiberius finivit, octavo et septuagesimo aetatis anno. Pater ei Nero, et utrinque origo gentis Claudiae, quanquam mater in Liviam et mox Iuliam familiam adoptionibus transierit. Casus prima ab infantia ancipites; nam proscriptum patrem exsul secutus ubi domi Augusti privignus introiit multis aemulis conflictatus est, dum Marcellus et Agrippa, mox Gaius Luciusque Caesares viguere. Etiam frater eius Drusus prosperiore civium amore erat. Sed maxime in lubrico egit accepta in matrimonium Iulia, inpudicitiam uxoris tolerans aut declinans.—Tac. *Ann.* vi. 50, 51.

Illustrate the genealogical particulars by a pedigree.

NE SUTOR SUPRA CREPIDAM.

124. Das gladiatores, sutorum regule, cerdo,
quodque tibi tribuit subula, sica rapit.
ebrius es: neque enim faceres hoc sobrius unquam,
ut velles corio ludere, cerdo, tuo.
lusisti corio; sed te, mihi crede, memento
nunc in pellicula, cerdo, tenere tua.

MARTIAL, iii. 16.

Μηδὲν ἄγαν.

125. Occurrit tibi nemo quod libenter,
quod, quacunque venis, fuga est, et ingens
circa te, Ligurine, solitudo,
quid sit, scire cupis? Nimis poëta es.
hoc valde vitium periculosum est.
non tigris catulis citata raptis,
non dipsas medio perusta sole,
nec sic scorpios improbus timetur.
nam tantos, rogo, quis ferat labores?
et stanti legis et legis sedenti.
in thermas fugio: sonas ad aurem;
piscinam peto; non licet natare:
ad cenam propero: tenes euntem.
ad cenam venio: fugas sedentem.
lassus dormio; suscitas iacentem.
vis, quantum facias mali, videre?
vir iustus, probus, innocens, timeris.

Ib. iii. 44.

'MATHEMATICI, GENUS HOMINUM QUOD IN CIVITATE NOSTRA ET VETABITUR SEMPER ET RETINEBITUR.'

126. Chaldaeis sed maior erit fiducia : quicquid
dixerit astrologus credent a fonte relatum
Hammonis, quoniam Delphis oracula cessant
et genus humanum damnat caligo futuri.
praecipuus tamen est horum qui saepius exul,
cuius amicitia conducendaque tabella
magnus civis obit et formidatus Othoni.
inde fides arti sonuit si dextera ferro
laevaque, si longo castrorum in carcere mansit.
nemo mathematicus genium indemnatus habebit,
sed qui paene perit, cui vix in Cyclada mitti
contigit et parva tandem caruisse Seripho.
consulit ictericae lento de funere matris,
ante tamen de te, Tanaquil tua : quando sororem
efferat et patruos ; an sit victurus adulter
post ipsam. quid enim maius dare numina possunt?
haec tamen ignorat quid sidus triste minetur
Saturni, quo laeta Venus se proferat astro,
qui mensis damnis, quae dentur tempora lucro.
illius occursus etiam vitare memento
in cuius manibus, ceu pinguia sucina, tritas
cernis ephemeridas, quae nullum consulit, et iam
consulitur, quae, castra viro patriamve petente,
non ibit pariter, numeris revocata Thrasylli.
ad primum lapidem vectari cum placet, hora
sumitur ex libro : si prurit frictus ocelli

angulus, inspecta genesi collyria poscit:
aegra licet iaceat, capiendo nulla videtur
aptior hora cibo nisi quam dederit Petosiris.

IUVENAL, vi. 553.

θηρῶν ἁπάντων ἀγριωτέρα γυνή.

127. Credamus tragicis, quicquid de Colchide torva
dicitur et Progne; nil contra conor; et illae
grandia monstra suis audebant temporibus, sed
non propter numos. Minor admiratio summis
debetur monstris quoties facit ira nocentem
hunc sexum et rabie iecur incendente feruntur
praecipites, ut saxa iugis abrupta, quibus mons
subtrahitur, clivoque latus pendente recedit.
illam ego non tulerim, quae computat et scelus ingens
sana facit: spectant subeuntem fata mariti
Alcestim et, similis si permutatio detur,
morte viri cupiant animam servare catellae.
occurrent multae tibi Belides atque Eriphylae
mane: Clytaemnestram nullus non vicus habebit:
hoc tantum refert quod Tyndaris illa bipennem
insulsam et fatuam dextra laevaque tenebat:
at nunc res agitur tenui pulmone rubetae,
sed tamen et ferro, si praegustabit Atrides
Pontica ter victi cautus medicamina regis.

IUVENAL, vi. 643.

MAKE HASTE, TRANQUILLUS, AND PUBLISH.

128. Libera tandem hendecasyllaborum meorum fidem, qui scripta tua communibus amicis spoponderunt. Appellantur cotidie et flagitantur: ac iam periculum est, ne cogantur ad exhibendum formulam accipere. Sum et ipse in edendo haesitator: tu tamen meam quoque cunctationem tarditatemque vicisti. Proinde aut rumpe iam moras, aut cave ne eosdem illos libellos, quos tibi hendecasyllabi nostri blanditiis elicere non possunt, convicio scazontes extorqueant. Perfectum opus absolutumque est, nec iam splendescit lima, sed atteritur. Patere me videre titulum tuum; patere audire describi legi venire volumina Tranquilli mei. Aequum est nos in amore tam mutuo eamdem percipere ex te voluptatem, qua tu perfrueris ex nobis. Vale.—Pliny, *Ep.* v. 10. (11.)

ANTIGONE.

129. Ecce alios gemitus, aliamque ad busta ferebat
Antigone miseranda facem, vix nancta petitos
moenibus egressus: illam nam tempore in omni
attendunt vigiles et rex iubet ipse timeri,
contractaeque vices et crebrior excubat ignis.
ergo deis fratrique moras excusat, et amens,
et paulum immisso cessit statio horrida somno,
erumpit muris; fremitu quo territat agros
virginis ira leae, rabies cui libera tandem
et primus sine matre furor: nec longa morata
est,

quippe trucem campum et positus quo pulvere frater
noverat. Atque illum contra videt ire Menoetes,
cui vacat, et carae gemitus compescit alumnae.
quom tamen erectas extremus virginis aures
accessit sonus: utque atra sub veste comisque
squalentem et crasso foedatam sanguine vultus
astrorum radiis et utraque a lampade vidit:
Cuius, ait, manes, aut quem temeraria quaeris
nocte mea? STATIUS, *Theb.* xii. 349.

THE COUNTRY ROUND PLINY'S VILLA.

130. Regionis forma pulcerrima: imaginare theatrum aliquod immensum, et quale sola rerum natura possit effingere. Caeduae silvae cum ipso monte descendunt. Prata inde campique, quos non nisi ingentes boves et fortissima aratra perfringunt; tantis enim glebis tenacissimum solum, cum primum prosecatur, adsurgit ut nono demum sulco perdometur. Medios Tiberis agros secat, navium patiens, omnesque fruges devehit in urbem, hieme duntaxat et vere; aestate summittitur, immensique fluminis nomen arenti alveo deserit, autumno resumit. Magna sui parte meridiem spectat, aestivumque solem ab hora sexta hibernum aliquanto maturius quasi invitat in porticum latam, et pro modo longam. Nulla ibi necessitas togae, nemo accersitor ex proximo, placida omnia et quiescentia; quod ipsum salubritati regionis ut purius caelum, ut äer liquidior accedit.

PLIN. *Epist.* v. 6.

TO CYNTHIA, ON HER BIRTHDAY.

131. (*a*) Mirabar quidnam misissent mane Camenae
ante meum stantes, sole rubente, torum:
natalis nostrae signum misere puellae,
et manibus faustos ter crepuere sonos.
transeat hic sine nube dies, stent äëre venti,
ponat et in sicco molliter unda minas.
aspiciam nullos hodierna luce dolentes,
et Niobes lacrumas supprimat ipse lapis,
Alcyonum positis requiescant ora querellis,
increpet absumptum nec sua mater Itym:
tuque oh cara mihi, felicibus edita pennis,
surge, et poscentes iusta precare deos.
ac primum pura somnum tibi discute lympha,
et nitidas presso pollice finge comas:
dein qua primum oculos cepisti veste petentis
indue, nec vacuum flore relinque caput.

Propert. iv. 10.

DEPENDANTS MUST KNOW THEIR PLACE.

(*b*) Duceris planta, velut ictus ab Hercule Cacus,
et ponere foras, si quid tentaveris unquam
hiscere, tanquam habeas tria nomina. Quando propinat
Virro tibi, sumitque tuis contacta labellis
pocula? Quis vestrum temerarius usque adeo, quis
perditus ut dicat regi 'Bibe.' Plurima sunt quae
non audent homines pertusa dicere laena.

Iuvenal, v. 125.

*LET *CLUENTIUS HAVE A FAIR HEARING.*

132. At in ipsum *Habitum animadverterunt. Nullam quidem ob turpitudinem, nullum ob totius vitae, non dicam vitium, sed erratum. Neque enim hoc homine sanctior neque probior neque in omnibus officiis retinendis diligentior esse quisquam potest: neque illi aliter dicunt, sed eamdem illam famam iudicii corrupti secuti sunt: neque ipsi secus existimant, quam nos existimari volumus, de huius pudore, integritate, virtute; sed putarunt praetermitti accusatorem non potuisse, quum animadversum esset in iudices. Qua de re tota si unum factum ex omni antiquitate protulero, plura non dicam. Non enim mihi exemplum summi et clarissimi viri, P. Africani, praetereundum videtur: qui quom esset censor, et in equitum censu C. Licinius Sacerdos prodiisset, clara voce, ut omnis contio audire posset, dixit se scire, illum verbis conceptis peierasse: si quis contra dicere vellet, usurum esse eum suo testimonio: deinde quom contra nemo diceret, iussit equum traducere. Itaque is, cuius arbitrio et populus Romanus et exterae gentes contentae esse consueverant, ipse sua scientia ad ignominiam alterius contentus non fuit. Quod si hoc Habito facere licuisset, facile, illis ipsis iudicibus, et falsae suspitioni et invidiae populariter excitatae restitisset.—Cicero, *pro Cluent.* xlviii. 134.

STORY OF CACUS.

133. Hic spelunca fuit, vasto submota recessu,
semihominis Caci facies quam dira tenebat,

solis inaccessam radiis; semperque recenti
caede tepebat humus; foribusque affixa superbis
ora virum tristi pendebant pallida tabo.
huic monstro Vulcanus erat pater: illius atros
ore vomens ignes, magna se mole ferebat.
attulit et nobis aliquando optantibus aetas
auxilium adventumque dei. Nam maximus ultor,
tergemini nece Geryonae spoliisque superbus,
Alcides aderat, taurosque hac victor agebat
ingentes; vallemque boves amnemque tenebant.
at furiis Caci mens effera, ne quid inausum
aut intractatum scelerisve dolive fuisset,
quattuor a stabulis praestanti corpore tauros
avertit, totidem forma superante iuvencas.
atque hos, ne qua forent pedibus vestigia rectis,
cauda in speluncam tractos, versisque viarum
indiciis raptos, saxo occultabat opaco.
quaerenti nulla ad speluncam signa ferebant.
interea, quom jam stabulis saturata moveret
Amphitryoniades armenta, abitumque pararet,
discessu mugire boves, atque omne querellis
impleri nemus, et colles clamore relinqui.

[1] VERG. *Aen.* viii. 193.

APPEAL OF APP. CLAUDIUS.

134. Maiorum merita in rem publicam domi militiaeque commemorabat, suum infelix erga plebem Romanam studium, quo aequandarum legum causa cum maxima offensione patrum consulatu abisset, suas leges, quibus manentibus lator earum in vincla

[1] Cf. Ov. *Fast.* i. 543. Propert. v. 9. Livy, i. 7.

ducatur. Ceterum sua propria bona malaque, quom causae dicendae data facultas sit, tum se experturum: in praesentia se communi iure civitatis civem Romanum die dicta postulare, ut dicere liceat, ut iudicium populi Romani experiri. Non ita se invidiam pertimuisse, ut nihil in aequitate et misericordia civium suorum spei habeat. Quod si indicta causa in vincla ducatur, iterum se tribunos plebei appellare et monere, ne imitentur quos oderint. Quod si tribuni eodem foedere obligatos se fateantur tollendae appellationis causa, in quam conspirasse decemviros criminati sint, at se provocare ad populum, implorare leges de provocatione et consulares et tribunicias eo ipso anno latas. Quem enim provocaturum, si hoc indemnato indicta causa non liceat? cui plebeio et humili praesidium in legibus fore, si Ap. Claudio non sit?—Liv. iii. 56.

DESCRIPTION OF THE CLITUMNUS.

135. Inde non loci devexitate, sed ipsa sui copia et quasi pondere impellitur. Fons adhuc, et iam amplissimum flumen atque etiam navium patiens; quas, obvias quoque et contrario nisu in diversa tendentes, transmittit et perfert: adeo validus, ut illa, qua properat ipse, quamquam per solum planum, remis non adiuvetur; idem aegerrime remis contisque superetur adversus. Iucundum utrumque per iocum ludumque fluitantibus, ut flexerint cursum, laborem otio, otium labore variare. Ripae fraxino multa, multa populo vestiuntur: quas perspicuus amnis, velut mersas, viridi imagine adnumerat. Rigor

aquae certaverit nivibus; nec color cedit. Adiacet templum, priscum et relligiosum. Stat Clitumnus ipse, amictus ornatusque praetexta. Praesens numen, atque etiam fatidicum, indicant sortes. Sparsa sunt circa sacella complura, totidemque di. Sua cuique veneratio, suum nomen: quibusdam vero etiam fontes. Nam praeter illum, quasi parentem ceterorum, sunt minores capite discreti; sed flumini miscentur, quod ponte transmittitur. Is terminus sacri profanique.—Plin. *Epist.* viii. 8.

LETTER OF CATILINA TO CATULUS.

136. L. Catilina Q. Catulo. Egregia tua fides re cognita, grata mihi magnis in meis periculis, fiduciam commendationi meae tribuit. Quamobrem defensionem in novo consilio non statui parare, satisfactionem ex nulla conscientia de culpa proponere decrevi, quam mediusfidius veram licet cognoscas. Iniuriis contumeliisque concitatus, quod fructu laboris industriaeque meae privatus statum dignitatis non obtinebam, publicam miserorum caussam pro mea consuetudine suscepi; non quin aes alienum meis nominibus ex possessionibus solvere possem, quom et alienis nominibus liberalitas Orestillae suis filiaeque copiis persolveret, sed quod non dignos homines honore honestatos videbam, meque falsa suspitione alienatum esse sentiebam. Hoc nomine satis honestas pro meo casu spes reliquae dignitatis conservandae sum sequutus. Plura quom scribere vellem, nuntiatum est vim mihi parari. Nunc Orestillam commendo tuaeque fidei trado; eam ab iniuria defendas per liberos tuos rogatus. Haveto.—Sal. *Catil.* 35.

M. T. CICERO TO P. VOLUMNIUS EUTRAPELUS.

εὐτραπελίαν ὀθνείην οὔποτ' ἐφελκυσάμην.

137. Quod sine praenomine familiariter, ut debebas, ad me epistulam misisti, primum addubitavi, num a Volumnio senatore esset, quocum mihi est magnus usus; deinde *εὐτραπελία* litterarum fecit ut intellegerem tuas esse; quibus in litteris omnia mihi periucunda fuerunt praeter illud, quod parum diligenter possessio salinarum mearum a te procuratore defenditur: ais enim, ut ego discesserim, omnia omnium dicta, in his etiam Sestiana, in me conferri. Quid? tu id pateris? non me defendis? non resistis? equidem sperabam ita notata me reliquisse genera dictorum meorum, ut cognosci sua sponte possent. Sed quoniam tanta faex est in urbe, ut nihil tam sit *ἀκύθηρον*, quod non alicui venustum esse videatur, pugna, si me amas, nisi acuta *ἀμφιβολία*, nisi elegans *ὑπερβολή*, nisi *παράγραμμα* bellum, nisi ridiculum *παρὰ προσδοκίαν*, nisi cetera, quae sunt a me in secundo libro 'de oratore' per Antonii personam disputata de ridiculis, *ἔντεχνα* et arguta adparebunt, ut sacramento contendas mea non esse. Nam de iudiciis quod quereris, multo laboro minus: trahantur per me pedibus omnes rei; sit vel Selius tam eloquens, ut possit probare se liberum: non laboro. Urbanitatis possessionem, amabo, quibusvis interdictis defendamus: in qua te unum metuo, contemno ceteros. Derideri te putas? nunc demum intellego te sapere.—Cicero, *ad Div.* vii. 32.

CICERO PRETENDS TO HAVE TURNED EPICUREAN.

138. Dupliciter delectatus sum tuis litteris, et quod ipse risi et quod te intellexi iam posse ridere; me autem a te, ut scurram velitem, malis oneratum esse, non moleste tuli: illud doleo, in ista loca venire me, ut constitueram, non potuisse; habuisses enim non hospitem, sed contubernalem. At quem virum! non eum, quem tu es solitus promulside conficere: integram famem ad ovum adfero; itaque usque ad assum vitulinum opera perducitur. Illa mea, quae solebas antea laudare, 'o hominem facilem! o hospitem non gravem!' abierunt. Nam omnem nostram de re publica curam, cogitationem de dicenda in senatu sententia, commentationem causarum abiecimus, in Epicuri nos adversarii nostri castra coiecimus; nec tamen ad hanc insolentiam, sed ad illam tuam lautitiam, veterem dico, cum in sumptum habebas, etsi nunquam plura praedia habuisti. Proinde te para: cum homine et edaci tibi res et qui iam aliquid intellegat; ὀψιμαθεῖς autem homines scis quam insolentes sint: dediscendae tibi sunt sportellae et artolagani tui.—Cicero, *ad Div.* ix. 20.

BURIAL OF GENERAL POMPEIUS MAGNUS.

Iacet ingens littore truncus
avolsumque humeris caput et sine nomine corpus.

139. Haec ubi fatus,
excitat invalidas admoto fomite flammas.
Carpitur, et lentum Magnus destillat in ignem,
tabe fovens bustum. Sed iam percusserat astra

Aurorae promissa dies: ille, ordine rupto
funeris, attonitus latebras in littore quaerit.
Quam metuis demens isto pro crimine poenam
quo te fama loquax omnes accepit in annos?
condita laudabit Magni socer impius ossa.
i modo securus veniae, fassusque sepulcrum
posce caput. Cogit pietas imponere finem
officio. Semiusta rapit, resolutaque nondum
ossa satis, nervis et inustis plena medullis
aequorea restinguit aqua, congestaque in unum
parva clausit humo. Tum ne levis aura retectos
auferret cineres, saxo compressit harenam,
nautaque ne bustum religato fune moveret,
inscripsit sacrum semiusto stipite nomen:
Hic situs est Magnus. Placet hoc, Fortuna, sepulcrum
dicere Pompeii: quo condi maluit illum,
quam terra caruisse socer? temeraria dextra,
cur obicis Magno tumulum, manesque vagantes
includis? situs est, qua terra extrema refuso
pendet in Oceano. Romanum nomen, et omne
imperium Magno est tumuli modus. Obrue saxa
crimine plena Deum. LUCAN, viii. 777.

ARMA VIRUMQUE CANO.

140. Te si forte iuvat studiorum pondere fessum
non languere tamen, lususque movere per artem,
callidiore modo tabula variatur aperta
calculus et vitreo peraguntur milite bella,
ut niveus nigros, nunc et niger alliget albos,

sed tibi quis non terga dedit? quis te duce cessit
calculus? aut quis non periturus perdidit hostem?
mile modis acies tua dimicat: ille petentem
dum fugit, ipse rapit: longo venit ille recessu
qui stetit in speculis; hic se committere rixae
audet et in praedam venientem decipit hostem.[1]
ancipites subit ille moras similisque ligato
obligat ipse duos: hic ad maiora movetur
ut citus et fracta prorumpat in agmina mandra
clausaque deiecto populetur moenia vallo,
interea sectis quamvis acerrima surgant
proelia militibus, plena tamen ipse phalange,
aut etiam pauco spoliata milite, vincis,
et tibi captiva resonat manus utraque turba.

Bassus,[2] *Panegyr. in C. Calp. Pisonem*, 178–196.

*RECKLESS EXTRAVAGANCE OF *M. ANTONIUS.*

141. At quam insolenter statim helluo * invasit in eius † viri fortunas, cuius virtute terribilior erat populus Romanus exteris gentibus, iustitia carior. In eius igitur viri copias cum se subito ingurgitasset, exsultabat gaudio persona de mimo '*modo egens repente dives.*' Sed, ut est apud poëtam nescio quem,

[1] With this passage cf. Ov. *Trist.* ii. 471–484.

[2] The authorship is doubtful: the poem is usually ascribed to Saleius Bassus, the *tenuis S.* of Iuv. vii. 80; the hero is said to be identical with the Piso who conspired against Nero (Tac. *Ann.* xv. 48) and whom the Scholiast on Iuv. v. 109 pronounces an adept at the game of draughts.

male parta male dilabuntur. Incredibile ac simile portenti est, quonam modo illa tam multa quam paucis non dico mensibus, sed diebus effuderit. Magnus vini numerus fuit, permagnum optimi pondus argenti, pretiosa vestis, multa et lauta supellex et magnifica multis locis, non illa quidam luxuriosi hominis, sed tamen abundantis: horum paucis diebus nihil erat. Quae Charybdis tam vorax? Charybdim dico? quae si fuit, animal unum fuit: Oceanus, medius fidius, vix videtur tot res, tam dissipatas, tam distantibus in locis positas tam cito absorbere potuisse. Nihil erat clausum, nihil obsignatum, nihil scriptum. Apothecae totae nequissimis hominibus condonabantur. Alia mimi rapiebant, alia mimae: domus erat aleatoribus referta, plena ebriorum: totos dies potabatur atque id locis pluribus: suggerebantur etiam saepe—non enim semper iste felix—damna aleatoria. Conchyliatis † Gn. Pompei peristromatis servorum in cellis lectos stratos videres. Quam ob rem desinite mirari haec tam celeriter esse consumpta: non modo unius patrimonium quamvis amplum, ut illud fuit, sed urbes et regna celeriter tanta nequitia devorare potuisset.

Cicero, 2 *Phil.* xxvii. 65.

O TEMPORA, O MORES!

142. Vicit et hoc monstrum tunicati fuscina Gracchi,
lustravitque fuga mediam gladiator harenam
et Capitolinis generosior et Marcellis
et Catulis Paulique minoribus et Fabiis et
omnibus ad podium spectantibus. His licet
ipsum

admoveas, cuius tunc munere retia misit.
Esse aliquid Manes et subterranea regna
et contum et Stygio ranas in gurgite nigras
atque una transire vadum tot milia cumba,
non pueri credunt, nisi qui nondum aere lavantur:
sed tu vera puta. Curius quid sentit et ambo
Scipiadae, quid Fabricius manesque Camilli,
quid Cremerae legio et Cannis consumpta iuventus,
tot bellorum animae, quotiens hinc talis ad illos
umbra venit? cuperent lustrari, si qua darentur
sulphura cum taedis et si foret humida laurus.
illuc heu! miseri traducimur. Arma quidem ultra
litora Iuburnae promovimus et modo captas
Orcadas ac minima contentos nocte Britannos:
sed quae nunc populi fiunt victoris in urbe
non faciunt illi quos vicimus.—IUVENAL, ii. 143.

CORNELIA[1] TO HER DAUGHTER, HUSBAND, AND SONS.

143. Filia, tu specimen censurae nata paternae,
fac teneas unum, nos imitata, virum.
et serie fulcite genus: mihi cumba volenti
solvitur, aucturis tot mea fata meis.

[1] Cornelia, daughter of one P. Corn. Scipio and Scribonia, afterwards the wife of Augustus, was married to Paullus Aemilius Lepidus, consul B.C. 34, censor B.C. 22. The *filia* is Aemilia Lepida, of whom nothing is known. The sons are (1) L. Aem. Paulus, husband of Iulia the granddaughter of Augustus, consul A.D. 1; (2) M. Aem. Lepidus, consul A.D. 6.

haec est feminei merces extrema triumphi,
laudat ubi emeritum libera fama rogum.
nunc tibi commendo communia pignora, natos,
haec cura et cineri spirat inusta meo.
fungere maternis vicibus, pater: illa meorum
omnis erit collo turba ferenda tuo.
oscula cum dederis tua flentibus, adice matris:
tota domus coepit nunc onus esse tuum.
et si quid doliturus eris, sine testibus illis:
cum venient, siccis oscula falle genis:
sat tibi sint noctes quas de me, Paulle, fatiges,
somniaque in faciem credita saepe meam.
atque ubi secreto nostra ad simulacra loqueris,
ut responsurae singula verba iace.
seu tamen adversum mutarit ianua lectum,
sederit et nostro cauta noverca toro,
coniugium, pueri, laudate et ferte paternum;
capta dabit vestris moribus illa manus.
nec matrem laudate nimis: collata priori
vertet in offensas libera verba suas.
seu memor ille mea contentus manserit umbra,
et tanti cineres duxerit ille meos,
discite venturam iam nunc sentire senectam,
coelibis ad curas nec vacet ulla via.

PROPERT. v. 11, 67.

DOTATA REGIT VIRUM CONIUNX.

MEGADORUS, EUCLIO.

144. *M.* Meo quidem animo, si idem faciant ceteri,
opulentiores pauperiorum filias

ut indotatas ducant uxores domum,
et multo fiat civitas concordior,
et invidia nos minore utamur quam utimur,
et illae malam rem metuant quam metuont magis,
et nos minore sumtu simus quam sumus.
hoc ita si fiat, mores meliores sibi
parent, pro dote quos ferant, quam nunc ferunt:
nulla ergo dicat Equidem dotem ad te attuli
maiorem multo quam tibi erat pecunia.
enim mihi quidem aequum est purpuram atque aurum dari,
ancillas, mulos, muliones, pedisequos,
salutigerulos pueros, vehicla qui vehar.

E. Ut matronarum hic facta pernovit probe!
moribus praefectum mulierum hunc factum velim.

M. Nunc, quoquo venias, plus plaustrorum in aedibus
videas, quam ruri, quando ad villam veneris.
sed hoc etiam pulcrumst prae quam ubi sumtus petunt:
stat fullo, phrygio, aurifex, lanarius,
ciniflones, patagiarii, indusiarii,
flammearii, violarii, cerinarii,
aut manulearii, aut murobrecharii,
propolae linteones, calceolarii,
sedentarii sutores, diabathrarii,
solearii adstant, adstant molochinarii,
petunt fullones, sarcinatores petunt,
strophiarii adstant, adstant semizonarii.

iam hosce absolutos censeas: cedunt: petunt
trecenti: circumstant phylacistae in atriis.
E. Compellarem ego illum, ni metuam, ne desinat
memorare mores mulierum: nunc sic sinam.

PLAUT. *Aul.* 432.

DETAILS OF THE PRIVATE LIFE OF T. POMPONIUS ATTICUS.

145. Neque vero minus ille vir bonus paterfamilias habitus est quam civis: nam cum esset pecuniosus, nemo illo minus fuit emax, minus aedificator. Ipsum tectum antiquitus constitutum plus salis quam sumptus habebat, in quo nihil commutavit nisi si quid vetustate coactus est. Usus est familia, si utilitate iudicandum est, optima: si forma, mediocri. Namque in ea erant pueri litteratissimi, anagnostae optimi, plurimi librarii, ut ne pedisequus quidem quisquam esset qui non utrumque horum pulcre facere posset. Supellex non modica, non multa, ut in neutram partem conspici posset. Nec hoc praeteribo, quanquam nonnullis leve visum iri putem, cum inprimis lautus esset eques, scimus non amplius quam terna milia aeris peraeque in singulos menses ex ephemeride expensum sumptui ferre solitum. Nemo in convivio eius aliud acroama audivit quam anagnosten, quod nos quidem iucundissimum arbitramur: neque unquam sine aliqua lectione apud eum cenatum est, et eos vocabat quorum mores a suis non abhorrerent. Cum maxuma pecuniae facta esset accessio, nihil de quotidiano cultu mutavit, nihil de vitae consuetudine, tantaque

usus est moderatione ut neque in HS vicies quod a patre acceperat parum se splendide gesserit neque in HS centies affluentius vixerit quam instituerat parique fastigio steterit in utraque fortuna.

Corn. Nep. *Att.* 13, 14.

THE LAST PENALTY!

146. Quisquis stolaeve purpuraeve contemptor
quos colere debet impio laedit versu,
erret per urbem pontis exul et clivi,
interque raucos ultimus rogatores
oret caninas panis improbi buccas.
illi December longus et multa bruma
claususque fornix triste frigus extendat.
vocet beatos clamitetque felices
Orciniana qui feruntur in sponda.
at cum supremae fila venerint horae
diesque tardus, sentiat canum litem
abigatque moto noxias aves panno;
nec finiantur morte supplicis poenae,
sed modo severi sectus Aeaci loris,
nunc inquieti monte Sisyphi pressus,
nunc inter undas garruli senis siccus
delasset omnes fabulas poëtarum:
et cum fateri Furia iusserit verum,
prodente clamet conscientia Scripsi.—Mart. x. 5.

THE LACEDAEMONIAN SKYTALE.

147. Lacedaemonii veteres, cum dissimulare et occultare literas publice ad imperatores suos missas volebant, ne, si ab hostibus exceptae forent, consilia sua noscerentur, epistulas id genus factas mittebant. Surculi duo erant teretes, oblonguli, pari crassamento eiusdemque longitudinis, derasi atque ornati consimiliter; unus imperatori in bellum proficiscenti dabatur: alterum domi magistratus cum iure atque cum signo habebant. quando usus venerat literarum secretiorum, circum eum surculum lorum modicae tenuitatis, longum autem quantum rei satis erant, complicabant, volumine rotundo et simplici, ita ut orae adiunctae undique et cohaerentes lori quod plicabatur coirent. literas deinde in eo loro per transversas iuncturarum oras, versibus a summo ad imum proficiscentibus, inscribebant: id lorum literis ita perscriptis revolutum ex surculo imperatori commenti illius conscio mittebant: resolutio autem lori literas truncas aque mutilas reddebat, membraque eorum et apices in partes diversissimas spargebat. propterea, si id lorum in manus hostium incidebat, nihil quicquam coniectari ex eo scripto quibat: sed ubi ille, ad quem erat missum, acceperat, surculo compari, quem habebat, capite ad finem, proinde ut debere fieri sciebat, circumplicabat, atque ita literae per ambitum eundem circuli coalescentes rursum coibant, integramque et incorruptam epistulam et facilem legi praestabant. hoc genus epistulae Lacedaemonii σκυτάλην appellant.—AUL. GELL. xvii. 9.

ON A PORTRAIT OF CAESONIUS.

148. Maximus ille tuus, Ovidi, Caesonius hic est,
cuius adhuc voltum vivida cera tenet.
hunc Nero damnavit, sed tu damnare Neronem
ausus es, et profugi, non tua, fata sequi,
aequora per Syllae magnus comes exulus isti,
qui modo nolueras consulis esse comes.
si victura meis mandantur nomina chartis
et fas est cineri me superesse meo,
audiet hoc praesens venturaque turba, fuisse
illi te Senecae quod fuit ille suo.

MARTIAL, vii. 44 (42).

PROCEEDINGS AT AN AUCTION, AND THE CONSEQUENCES.

149. Aebutio negotium datur: adest ad tabulam; licetur Aebutius: deterrentur emptores multi, partim gratia Caesenniae, partim etiam pretio: fundus addicitur Aebutio, pecuniam argentario promittit Aebutius: quo testimonio nunc vir optimus utitur sibi emptum esse. Quasi vero aut nos ei negemus addictum, aut tum quisquam fuerit qui dubitarit quin emeretur Caesenniae; cum id plerique scirent, omnes fere audissent, hi coniectura assequi possent, cum pecunia Caesenniae ex illa hereditate deberetur, eam porro in praediis collocari maxime expediret, essent autem praedia, quae mulieri maxime convenirent, ea venirent, liceretur is quem Caesenniae dare operam nemo miraretur, sibi emere nemo posset

suspicari. Hac emptione facta, pecunia solvitur a Caesennia, cuius rei ipse putat rationem reddi non posse quod ipse tabulas averterit, se autem habere argentarii tabulas in quibus sibi expensa pecunia lata sit, acceptaque relata: quasi id aliter fieri oportuerit. Cum omnia ita facta essent quemadmodum nos defendimus, Caesennia fundum possedit locavitque, neque ita multo post A. Caecinae nupsit. Ut in pauca conferam, testamento facto mulier moritur. Facit heredem ex deunce et semuncia Caecinam, ex duabus sextulis M. Fulcinium, libertum superioris viri, Aebutio sextulam adspergit: hanc sextulam illa mercedem isti esse voluit assiduitatis et molestiae, si quam susceperat.—Cicero, *pro Caecina*, vi. 16.

QUIS IURIS NODOS LEGUMQUE AENIGMATA SOLVAT?

150. Antoni incredibilis quaedam et prope singularis et divina vis ingenii videtur, etiamsi haec scientia iuris nudata sit, posse se facile ceteris armis prudentiae tueri atque defendere. Quamobrem hic nobis sit exceptus: ceteros vero non dubitabo primum inertiae condemnare sententia mea, post etiam impudentiae. Nam volitare in foro, haerere in iure ac praetorum tribunalibus, iudicia privata magnarum rerum obire, in quibus saepe non de facto sed de aequitate ac iure certetur, iactare se in causis centumviralibus, in quibus usucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, circumluvionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum,

testamentorum ruptorum aut ratorum ceterarumque rerum innumerabilium iura versentur, cum omnino, quid suum, quid alienum, quare denique civis aut peregrinus, servus aut liber quispiam sit, ignoret, insignis est impudentiae.

Cicero, *de Orat.* i. 38. 172.

QUAM FERUS ET VERE FERREUS USUS ERAT!

151. Nunc tibi quo pacto ferri natura reperta
sit facilest ipsi per te cognoscere, Memmi;
arma antiqua manus ungues dentesque fuerunt,
et lapides et item silvarum fragmina rami,
et flamma atque ignes, postquam sunt cognita primum.
posterius ferri vis est aerisque reperta,
et prior aeris erat quam ferri cognitus usus,
quo facilis magis est natura et copia maior.
aere solum terrae tractabant, aereque belli
miscebant fluctus et volnera vasta serebant
et pecus atque agros adimebant; nam facile ollis
omnia cedebant armatis nuda et inerma.
inde minutatim processit ferreus ensis
versaque in obprobrium species est falcis ahenae,
et ferro coepere solum praescindere terrae
exaequataque sunt creperi certamina belli.
et prius est armatum in equi conscendere costas
et moderarier hunc frenis dextraque vigere
quam biiugo curru belli temptare pericla.
et biiugus prius est quam bis coniungere binos
et quam falciferos armatum escendere currus.

inde boves lucas turrito corpore, taetras,
anguimanus, belli docuerunt volnera Poeni
sufferre et magnas Martis turbare catervas.

LUCRET. v. 1281.

THE NEWS OF THE VICTORY AT THE METAURUS IS RECEIVED IN ROME. B.C. 207.

152. Numquam per omnes dies, ex quo Claudium consulem profectum fama adtulit, ab orto sole ad occidentem aut senator quisquam a curia atque ab magistratibus abscessit aut populus e foro: matronae, quia nihil in ipsis opis erat, in preces obtestationesque versae per omnia delubra vagae supplices votisque fatigare deos. Tam sollicitae ac suspensae civitati fama incerta primo accidit, duos Narnienses equites in castra, quae in faucibus Umbriae opposita erant, venisse ex praelio nuntiantes caesos hostes. Et primo magis auribus quam animis id acceptum erat ut maius laetiusque, quam quod mente capere aut satis credere possent: et ipsa celeritas fidem impediebat, quod biduo ante pugnatum dicebatur. Litterae deinde ab L. Manlio Acidino missae ex castris adferuntur de Narniensium equitum adventu. Hae litterae per forum ad tribunal praetoris latae senatum curia exciverunt: tantoque certamine ac tumultu populi ad fores curiae concursum est, ut adire nuntius non posset, traheretur a percontantibus vociferantibusque, ut in rostris prius quam in senatu litterae recitarentur. Tandem submoti et coerciti a magistratibus, dispensarique laetitia inter impotentes ejus animos potuit. In senatu primum deinde in contione

litterae recitatae sunt: et, pro cuiusque ingenio, aliis iam certum gaudium, aliis nulla ante futura fides erat, quam legatos consulumve litteras audissent. Ipsos deinde adpropinquare legatos adlatum est. Tunc enimvero omnis aetas currere obvii, primus quisque oculis auribusque haurire tantum gaudium cupientes: ad Mulvium usque pontem continens agmen pervenit.—LIVY, xxvii. 50.

VIR BONUS UBI?

153. Edepol nugatorem lepidum lepide hunc nanctust Phaedromus.
halophantamne hunc an sucophantam hunc magis dicam, esse nescio.
ornamenta quae locavi metuo ut possim recipere.
quanquam cum istoc mihi negoti nihil est: ipsi Phaedromo
credidi; tamen adservabo. Set dum hic egreditur foras,
conmonstrabo quo in quemque hominem facile inveniatis loco,
ne nimio opere sumat operam, si quis conventum velit,
vel vitiosum vel sine vitio, vel probum vel improbum.
qui periurum convenire volt hominem, mitto in comitium,
qui mendacem et gloriosum, apud Cloacinae sacrum.
Ditis damnosos maritos sub Basilica quaerito:
sumbolarum conlatores apud forum piscarium,

in foro infumo boni homines atque dites
    ambulant,
in medio propter canalem, ibi ostentatores meri,
confidentes garrulique et malevoli supra Lacum,
qui alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam,
et qui ipsi sat habent quod in se possit vere
    dicier ;
sub Veteribus ibi sunt qui dant quique accipiunt
    fenore,
pone aedem Castoris, ibi sunt subito queis credas
    male,
in Velabro vel pistorem vel lanium vel harus-
    picem. PLAUT. *Curc.* iv. 1 (462).

SPEECH OF C. CL. NERO BEFORE THE BATTLE OF METAURUS.—DELIGHT OF THE COUNTRY PEOPLE.—GOOD BEHAVIOUR OF THE TROOPS.

154. Nero postquam tantum intervalli ab hoste fecerat ut detegi consilium satis tutum esset, paucis milites adloquitur: 'negat ullius consilium imperatoris in speciem audacius, re ipsa tutius fuisse quam suum: ad certam eos se victoriam ducere: quippe ad quod bellum collega non ante, quam ad satietatem ipsius peditum atque equitum datae ab senatu copiae fuissent maiores instructioresque quam si adversus ipsum Hannibalem iret, profectus sit, eo ipsos, quantumcumque virium momentum addiderint, rem omnem inclinaturos: auditum modo in acie—nam ne ante audiretur, daturum operam—alterum consulem et alterum exercitum advenisse, haud dubiam victoriam facturum. Famam bellum conficere et parva mo-

menta in spem metumque impellere animos: gloriae quidem ex re bene gesta partae fructum prope omnem ipsos laturos: semper quod postremum adiectum sit, id rem totam videri traxisse. Cernere ipsos, quo concursu qua admiratione quo favore hominum iter suum celebretur.' Et hercule per instructa omnia ordinibus virorum mulierumque undique ex agris effusorum inter vota et preces et laudes ibant: illos praesidia rei publicae, vindices urbis Romanae imperiique appellabant, in illorum armis dextrisque suam liberorumque suorum salutem ac libertatem repositam esse: deos omnes deasque precabantur, ut illis faustum iter felixque pugna et matura ex hostibus victoria esset, damnarenturque ipsi votorum quae pro iis suscepissent, ut, quemadmodum nunc solliciti prosequerentur eos, ita paucos post dies laeti ovantibus victoria obviam irent. Invitare inde pro se quisque et offerre et fatigare precibus ut, quae ipsis iumentisque usui essent, ab se potissimum sumerent: benigne omnia cumulata dare. Modestia certare milites, ne quid ultra usum necessarium sumerent: nihil morari, nec ab signis absistere nec subsistere cibum capientes: diem ac noctem ire, vix quod satis ad naturale desiderium corporum esset, quieti dare. Et ad collegam praemissi erant qui nuntiarent adventum percontarenturque, clam an palam, interdiu an noctu venire sese vellet, isdem an aliis considere castris. Nocte clam ingredi melius visum est.—Livy, xxvii. 45.

APPIUS CLAUDIUS PULCER CONSULTS THE ORACLE OF DELPHI ABOUT HIS OWN DESTINY. PHRENZIED STATE OF THE PRIESTESS.

155. Plena laborat
Phemonoe Phoebo, dum te, consultor operti
Castalia tellure dei, vix invenit, Appi,
inter fata diu quaerens tam magna latentem.
spumea tunc primum rabies vesana per ora
effluit, et gemitus, et anhelo clara meatu
murmura: tunc maestus vastis ululatus in antris,
extremaeque sonant, domita iam virgine, voces:
'Effugis ingentes, tanti discriminis expers,
'bellorum, O Romane, minas: solusque quietem
'Euboici vasta lateris convalle tenebis!
cetera suppressit faucesque obstruxit Apollo.
Custodes tripodes fatorum, arcanaque mundi,
tuque potens rerum Paean, nullumque futuri
a superis celate diem, suprema ruentis
imperii, caesosque duces, et funera regum
et tot in Hesperio collapsas sanguine gentes
cur aperire times? an nondum numina tantum
decrevere nefas, et adhuc dubitantibus astris
Pompeii damnare caput, tot fata tenentur?
vindicis an gladii facinus poenasque furoris,
regnaque ad ultores iterum redeuntia Brutos
ut peragat fortuna, taces?
Tunc pectore vatis
impactae cessere fores, expulsaque templis
prosiluit. perstat rabies, nec cuncta locutae
quem non emisit superest deus.—LUCAN, v. 186.

MENS PROVIDA REGULI.

156. M. Atilius Regulus, cum consul iterum in Africa ex insidiis captus esset, duce Xanthippo Lacedaemonio, imperatore autem patre Hannibalis Hamilcare, iuratus missus est ad senatum, ut, nisi redditi essent Poenis captivi nobiles quidam, rediret ipse Carthaginem. Is cum Romam venisset, utilitatis speciem videbat, sed eam, ut res declarat, falsam iudicavit: quae erat talis: manere in patria, esse domi suae cum uxore, cum liberis; quam calamitatem accepisset in bello, communem fortunae bellicae iudicantem, tenere consularis dignitatis gradum; quis haec neget esse utilia? Quem censes? Magnitudo animi et fortitudo negat. Itaque quid fecit? In senatum venit, mandata exposuit: sententiam ne diceret recusavit; quamdiu iureiurando hostium teneretur, non esse se senatorem. Atque illud etiam (o stultum hominem, dixerit quispiam, et repugnantem utilitati suae) reddi captivos, negavit esse utile: illos enim adolescentes esse, se iam confectum senectute. Cuius cum valuisset auctoritas, captivi retenti sunt, ipse Carthaginem rediit: neque eum caritas patriae retinuit, nec suorum. Neque vero tum ignorabat, se ad crudelissimum hostem et ad exquisita supplicia proficisci: sed iusiurandum conservandum putabat. Itaque tum, cum vigilando necabatur, erat in meliore caussa, quam si domi senex captivus, periurus consularis mansisset.—CICERO, *de Officiis*, iii. 26, 99.

I DEMENS, . . . SAEVAS CURRE PER ALPES.

157. Iamque, super cautes atque importuna locorum,
illuvie rigidaeque comae squalore perenni
horrida semiferi promunt e rupibus ora,
atque effusa cavis exesi pumicis antris
Alpina invadit manus, adsuetoque vigore
per dumos, notasque nives, atque invia pernix
clausum montivagis infestat cursibus hostem.
mutatur iam forma locis: hic sanguine multo
infectae rubuere nives: hic nescia vinci
paulatim glacies cedit tepefacta cruore;
dumque premit sonipes duro vestigia cornu,
ungula perfossis haesit comprensa pruinis.
nec pestis lapsus simplex: abscissa relinquunt
membra gelu, fractosque asper rigor amputat artus.
bis senos soles, totidem per vulnera saevas
emensi noctes, optato vertice sidunt,
castraque praeruptis suspendunt ardua saxis.

Silius, iii. 540.

SCENE IN THE SENATE AFTER THE RETURN OF POMPEIUS FROM THE MITHRIDATIC WAR, B.C. 60.

158. Vereor ne putidum sit scribere ad te quam sim occupatus, sed tamen distinebar ut huic vix tantulae epistulae tempus habuerim atque id ereptum e summis negotiis. Prima contio Pompeii non iucunda miseris, inanis improbis, beatis non grata, bonis non gravis: itaque frigebat. Quaesivit dein Fufius placeretne ei iudices a praetore legi, quo

consilio idem praetor uteretur. Tum Pompeius *μάλ' ἀριστοκρατικῶς* locutus est, Senatusque auctoritatem sibi omnibus in rebus maximam videri semperque visam esse respondit, et id multis verbis. Ornatissime Crassus de meo Consulatu locutus est, ut ita diceret se quod esset Senator, quod civis, quod liber, quod viveret, mihi acceptum referre. Quid multa? totum hunc locum, quem ego varie meis orationibus, quarum tu Aristarchus es, soleo pingere, de flamma, de ferro,—nosti illas *ληκύθους*—valde graviter pertexuit. Ego autem ipse, quo modo *ἐνεπερπερευσάμην* novo auditori Pompeio! Si unquam mihi *περίοδοι*, si *καμπαί*, si *ἐνθυμήματα*, si *κατασκευαί* suppeditaverunt, illo tempore. Quid multa? clamores: tanti fuerunt ut ego eo brevior sim quod eos usque istim exauditos putem. Senatus *ἄρειος πάγος*: nihil constantius, nihil severius, nihil fortius. Nam cum dies venisset rogationi ex senatusconsulto ferendae, concursabant barbatuli iuvenes, totus ille grex Catilinae, duce filiola Curionis, et populum ut antiquaret rogabant. Operae Clodianae pontes occuparant. Tabellae ministrabantur ita ut nulla daretur UTI ROGAS. Hic tibi Rostra Cato advolat, convitium Pisoni consuli mirificum facit, si id est convitium vox plena gravitatis, plena auctoritatis, plena denique salutis.—CICERO, *ad Att.* i. 14.

HABITS OF THE GERMANS IN GENERAL.

159. Fenus agitare et in usuras extendere ignotum, ideoque magis servatur quam si vetitum esset. Agri pro numero cultorum ab universis in vices occupantur,

quae mox inter se secundum dignationem partiuntur. Facilitatem partiendi camporum spatia praestant. Arva per annos mutant, et superest ager. Nec enim cum ubertate et amplitudine soli labore contendunt, ut pomaria conserant, et prata separent, et hortos rigent; sola terrae seges imperatur. Unde annum quoque ipsum non in totidem digerunt species; hiemps et ver et aestas intellectum ac vocabula habent: autumni perinde nomen ac bona ignorantur. Funerum nulla ambitio. Id solum observatur, ut corpora clarorum virorum certis lignis crementur. Struem rogi nec vestibus nec odoribus cumulant: sua cuique arma, quorundam igni et eqvus adicitur. Sepulcrum caespes erigit: monumentorum arduum et operosum honorem ut gravem defunctis aspernantur. Lamenta ac lacrimas cito, dolorem et tristitiam tarde ponunt. Feminis lugere honestum est, viris meminisse.—Tac. *Germ.* 26.

THE ART OF PUTTING LEADING QUESTIONS.

160. Dixit hic idem qui omnia semper constanter et fortiter, M. Cato, dixitque in turbulenta contione, quae tamen huius auctoritate placata est, non libertate solum, sed etiam omnibus praemiis dignissimos fuisse qui domini caput defendissent. Quod enim praemium satis magnum est tam benivolis, tam bonis, tam fidelibus servis, propter quos vivit? Etsi id quidem nōn tanti est quam quod propter eosdem non sanguine et volneribus suis crudelissimi inimici mentem oculosque satiavit. Quos nisi manumisisset, tormentis etiam dedendi fuerunt conservatores domini, ultores sceleris, defensores necis. Hic vero

nihil habet in his malis quod minus molesta ferat quam, etiamsi quid ipsi accidat, esse tamen illis meritum praemium persolutum. Sed quaestiones urgent Milonem quae sunt habitae nunc in atrio Libertatis. Quibusnam de servis? Rogas? de P. Clodi. Quis eos postulavit? Appius. Quis produxit? Appius. Unde? Ab Appio. Di boni! quid potest agi severius? De servis nulla lege quaestio est in dominos, nisi de incestu, ut fuit in Clodium. Proxime deos accessit Clodius, propius quam tum cum ad ipsos penetrarat: cuius de morte, tanquam de caerimoniis violatis, quaeritur. Sed tamen maiores nostri in dominum de servo quaeri noluerunt, non quia non posset verum inveniri sed quia videbatur indignum et dominis morte ipso tristius. In reum de servis accusatoris cum quaeritur, verum inveniri potest? Age vero, quae erat, aut qualis quaestio? 'Heus tu, Rufio, verbi causa, cave sis mentiaris. Clodius insidias fecit Miloni?' 'Fecit'; certa crux: 'Nullas fecit,' sperata libertas? Quid hoc quaestione certius? Subito arrepti in quaestionem, tamen separantur a ceteris, et in arcas coniciuntur, ne quis cum iis colloqui possit. Hi centum dies penes accusatorem cum fuissent, ab eo ipso accusatore producti sunt. Quid hac quaestione dici potest integrius? quid incorruptius?

CIC. *pro Milone*, xxii. 58.

LOVE LAUGHS AT LOCKSMITHS.—FAST TIMES.

161. Pone seram, cohibe. Sed quis custodiet ipsos
custodes? cauta est, et ab illis incipit uxor.

Ut spectet ludos, conducit Ogulnia vestem,
conducit comites, sellam, cervical, amicas,
nutricem, et flavam, cui det mandata, puellam.
haec tamen argenti superest quodcunque paterni
levibus athletis ac vasa novissuma donat.
multis res angusta domi: sed nulla pudorem
paupertatis habet, nec se metitur ad illum,
quem dedit haec posuitque modum. Tamen utile quid sit
prospiciunt aliquando viri, frigusque famemque
formica tandem quidam expavere magistra.
prodiga non sentit pereuntem femina censum,
ac, velut exhausta recidivus pullulet arca
numus et e pleno semper tollatur acervo,
non unquam reputant quanti sibi gaudia constent.

IUVENAL, vi. 347.

COMPLAINTS SHOULD NOT BE GROUNDLESS.

162. Nam quod aes alienum obiectum est, sumptus reprehensi, tabulae flagitatae, videte quam pauca respondeam. Tabulas, qui in patris potestate est, nullas conficit. Versuram nunquam omnino fecit ullam. Sumptus unius generis obiectus est, habitationis. Triginta millibus dixistis eum habitare: nunc demum intellego P. Clodi insulam esse venalem, cuius hic in aediculis habitat, decem, ut opinor, millibus: vos autem, dum illi placere voltis, ad tempus ei mendacium vestrum accommodavistis. Reprehendistis a patre quod semigrarit: quod quidem hac in aetate minime reprehendendum est; qui,

cum et ex reipublicae caussa esset mihi quidem molestam, sibi tamen gloriosam victoriam consecutus, et per aetatem magistratus petere posset, non modo permittente patre sed etiam suadente ab eo semigravit: et cum domus patris a foro longe abesset, quo facilius et nostras domus obire et ipse a suis coli posset, conduxit in Palatio, non magno, domum.

Cicero, *pro Caelio*, vii. 17.

DISCUSSION ON THE TRIBUNATE BETWEEN M. T. CICERO, AND HIS BROTHER QUINTUS.

163. *Q.* In ista quidem re vehementer Sullam probo, qui Trib. pl. sua lege iniuriae faciendae potestatem ademerit, auxilii ferendi reliquerit: Pompeiumque nostrum ceteris rebus omnibus semper amplissimis summisque refero laudibus: de Tribunicia potestate taceo, nec enim reprehendere libet, nec laudare possum. *M.* Vitia quidem Tribunatus praeclare, Quinte, perspicis; sed est iniqua in omni re accusanda, praetermissis bonis, malorum enumeratio vitiorumque selectio: nam isto quidem modo vel Consulatus vituperabilis est, si Consulum, quos enumerare nolo, peccata collegeris: ego enim fateor in ista ipsa potestate inesse quiddam mali: sed bonum, quod est quaesitum in ea, sine isto malo non haberemus. Nimia potestas est Trib. pleb. quis negat? sed vis populi multo saevior multoque vehementior, quae, ducem quod habet, interdum lenior est, quam si nullum haberet: dux enim suo periculo progredi cogitat, populi impetus periculi rationem sui non habet. At aliquando incenditur, et quidem

saepe sedatur. Quod est enim tam desperatum collegium in quo nemo e decem sana mente sit? Quid enim Ti. Gracchum aliud perculit nisi quod potestatem intercedendi collegae abrogavit? Sed tu sapientiam maiorum in illo vide. Concessa plebi a patribus ista potestate, arma ceciderunt, restincta seditio est, inventum est temperamentum quo tenuiores cum principibus aequari se putarent, in quo uno fuit civitatis salus. At duo Gracchi fuerunt. Et praeter eos quamvis enumeres multos licet: cum deni creantur, nonnullos in omni memoria invenies perniciosos tribunos.—CICERO, *de Legibus*, iii. 9. 22.

NE CAPIARE CAVE.

164. Illa vero deridenda arrogantia est, in minoribus navigiis rudem esse se confiteri, quinqueremes, aut etiam maiores, gubernare didicisse. Tu mihi, cum in circulo decipiare adversarii stipulatiuncula, et cum obsignes tabellas clientis tui, quibus in tabellis id sit scriptum quo ille capiatur, ego tibi ullam caussam maiorem committendam putem? Citius hercule is qui duorum scalmorum naviculam in portu everterit in Euxino ponto Argonautarum navem gubernarit. Quid? si ne parvae quidem caussae sunt, sed saepe maximae, in quibus certatur de iure civili, quod tandem os est illius patroni qui ad eas caussas sine ulla scientia iuris audet accedere? Quae potuit igitur esse caussa maior quam illius militis, de cuius morte cum domum falsus ab exercitu nuntius venisset, et pater eius, re credita, testamentum mutasset, et quem ei visum esset fecisset heredem,

essetque ipse mortuus? Res delata est ad centumviros, cum miles domum revenisset, egissetque lege in hereditatem paternam. Nempe in ea caussa quaesitum est de iure civili, possetne paternorum bonorum exheres esse filius, quem pater testamento neque heredem neque exheredem scripsisset nominatim. Quid? nuper cum ego Auratae iudicio privato caussam defenderem, nonne omnis nostra in iure versata defensio est? Cum enim Marius aedes Auratae vendidisset, neque servire quamdam earum aedium partem in mancipii lege dixisset, defendebamus, quidquid fuisset incommodi in mancipio, id si venditor scisset neque declarasset, praestare debere. Quo quidem in genere familiaris noster M. Bucculeius, homo neque meo iudicio stultus et suo valde sapiens, et a iuris studio non abhorrens, simili in re quodam modo nuper erravit. Nam cum aedes M. Fufio venderet, in mancipio lumina, uti tum essent, ita recepit. Fufius autem, simul atque aedificari coeptum est in quadam parte urbis quae modo ex illis aedibus conspici posset, egit statim cum Bucculeio quod, cuicunque particulae caeli officeretur, quamvis esset procul, mutari lumina putabat.

Cicero, *de Orat.* i. 38. 174.

PORTRAIT OF A ROMAN BLUE-STOCKING.

165. Illa tamen gravior quae, cum discumbere coepit,
laudat Vergilium, periturae ignoscit Elissae,
committit vates et comparat; inde Maronem
atque alia parte in trutina suspendit Homerum.
cedunt grammatici, vincuntur rhetores, omnis

turba tacet, nec causidicus, nec praeco loquatur,
altera nec mulier: verborum tanta cadit vis,
tot pariter pelves, tot tintinnabula dicas
pulsari: iam nemo tubas, nemo aera fatiget,
una laboranti poterit succurrere lunae.

* * * * * * *

non habeat matrona, tibi quae iuncta recumbit,
dicendi genus, aut curtum sermone rotato
torqueat enthymema, nec historias sciat omnes,
sed quaedam ex libris et non intelligat: odi
hanc ego quae repetit volvitque Palaemonis artem,
servata semper lege et ratione loquendi,
ignotosque mihi tenet antiquaria versus,
nec curanda viris opicae castigat amicae
verba: solaecismum liceat fecisse marito.
nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil,
cum virides gemmas collo circumdedit et cum
auribus extentis magnos commisit elenchos.
intolerabilius nihil est quam femina dives.

IUVENAL, vi. 399.

INCIDENTS IN THE BLOCKADE OF CASTRA VETERA BY CIVILIS, A.D. 69.

166. Congestis circum lignis accensisque, simul epulantes, ut quisque vino incaluerat, ad pugnam temeritate inani ferebantur. Quippe ipsorum tela per tenebras vana: Romani conspicuam barbarorum aciem, et si quis audacia aut insignibus effulgens, ad ictum destinabant. Intellectum id Civili, et restincto igne misceri cuncta tenebris et armis iubet. Tum

vero strepitus dissoni, casus incerti, neque feriendi neque declinandi providentia: unde clamor acciderat, circumagere corpora, tendere artus: nihil prodesse virtus, fors cuncta turbare, et ignavorum saepe telis fortissimi cadere. Apud Germanos inconsulta ira: Romanus miles periculorum gnarus ferratas sudes gravia saxa non forte iaciebat. Ubi sonus molientium aut adpositae scalae hostem in manus dederant, propellere umbone, pilo sequi, multos in moenia egressos pugionibus fodere. Sic exhausta nocte novam acies dies aperuit. Eduxerant Batavi turrim duplici tabulato, quam praetoriae portae,—is aequissimus locus—propinquantem promoti contra validi asseres et incussae trabes perfregere, multa superstantium pernicie, pugnatumque in perculsos subita et prospera eruptione: simul a legionariis peritia et arte praestantibus plura struebantur. Praecipuum pavorem intulit suspensum et nutans machinamentum, quo repente demisso praeter suorum ora singuli pluresve hostium sublime rapti verso pondere intra castra effundebantur. Civilis omissa oppugnandi spe rursus per otium adsidebat, nuntiis et promissis fidem legionum convellens.—Tac. *Hist.* iv. 29.

ἀεὶ Μούσαισιν ἅμ' εἴην.

167. Avia Pieridum peragro loca nullius ante
trita solo: iuvat integros accedere fontes
atque haurire, iuvatque novos decerpere flores
insignemque meo capiti petere inde coronam
unde prius nulli velarint tempora musae;
primum quod magnis doceo de rebus et artis

relligionum animum nodis exsolvere pergo,
deinde quod obscura de re tam lucida pango
carmina, musaeo contingens cuncta lepore.
id quoque enim non ab nulla ratione videtur;
nam veluti pueris absinthia taetra medentes
cum dare conantur, prius oras pocula circum
contingunt mellis dulci flavoque liquore,
ut puerorum aetas improvida ludificetur
labrorum tenus, interea perpotet amarum
absinthi laticem deceptaque non capiatur,
sed potius tali pacto recreata valescat,
sic ego nunc, quoniam haec ratio plerumque videtur
tristior esse quibus non est tractata, retroque
volgus abhorret ab hac, volui tibi suaviloquente
carmine Pierio rationem exponere nostram.

LUCRET. iv. 1 (i. 926).

COURTEOUS REPROOF OF MASINISSA BY SCIPIO AFRICANUS MAIOR. ITS EFFECT.

168. 'Aliqua te existimo, Masinissa, intuentem in me bona et principio in Hispania ad iungendam mecum amicitiam venisse, et postea in Africa te ipsum spesque omnes tuas in fidem meam commisisse. Atqui nulla earum virtutum est propter quas tibi adpetendus visus sim, qua ego aeque ac temperantia et continentia libidinum gloriatus fuerim. Hanc te quoque ad ceteras tuas eximias virtutes, Masinissa, adiecisse velim. Non est, non —mihi crede—tantum ab hostibus armatis aetatis nostrae periculum, quantum ab circumfusis undi-

que voluptatibus. Qui eas temperantia sua frenavit ac domuit, multo maius decus maioremque victoriam sibi peperit quam nos Syphace victo habemus. Quae me absente strenue ac fortiter fecisti, libenter et commemoravi et memini: cetera te ipsum reputare tecum quam me dicente erubescere malo. Syphax populi Romani auspiciis victus captusque est: itaque ipse, coniunx, regnum, ager et oppida, homines qui incolunt, quidquid denique Syphacis fuit, praeda populi Romani est, et regem coniugemque eius, etiam si non civis Carthaginiensis esset, etiam si non patrem eius imperatorem hostium videremus, Romam oporteret mitti ac senatus populique Romani de ea judicium atque arbitrium esse, quae regem socium nobis alienasse atque in arma egisse praecipitem dicatur. Vince animum: cave deformes multa bona uno vitio, et tot meritorum gratiam maiore culpa quam causa culpae est corrumpas.' Masinissae haec audienti non rubor solum suffusus sed lacrimae etiam obortae: et quom se quidem in potestate futurum imperatoris dixisset orassetque eum ut, quantum res sineret, fidei suae temere obstrictae consuleret—promisisse enim se in nullius potestatem eam traditurum,—ex praetorio in tabernaculum suum confusus concessit. Ibi arbitris remotis cum crebro suspiritu et gemitu, quod facile ab circumstantibus tabernaculum exaudiri posset, aliquantum temporis consumpsisset, ingenti ad postremum edito gemitu eum ex servis vocat, sub cuius fide regio more ad incerta fortunae venenum erat, et mixtum in poculo ferre ad Sophonisbam iubet.—Livy, xxx. 14.

*HOW CICERO, AS GOVERNOR OF CILICIA, BEHAVED TO THE *PEOPLE OF SALAMIS IN CYPRUS, WHO WERE DEEPLY IN DEBT TO M. IUN. BRUTUS.*

169. Cum haec disseruissem, seducit me Scaptius; ait se nihil contra dicere, sed *illos putare talenta CC. se debere; ea se velle accipere, debere autem illos paulo minus; rogat, ut eos ad ducenta perducam. 'Optime' inquam. Voco illos ad me, remoto Scaptio. 'Quid vos? quantum' inquam 'debetis?' Respondent 'CVI.' Refero ad Scaptium. Homo clamare. 'Quid opus est' inquam 'quam *ut* rationes conferatis?' Adsidunt, subducunt; *ad* nummum convenit. Illi se numerare velle, urgere, ut acciperet. Scaptius me rursus seducit, rogat, ut rem sic relinquam. Dedi veniam homini impudenter petenti; Graecis querentibus, ut in fano deponerent postulantibus, non concessi. Clamare omnes qui aderant, nihil impudentius Scaptio, qui centesimis cum anatocismo contentus non esset; alii, nihil stultius. Mihi autem impudens magis quam stultus videbatur: nam aut bono nomine centesimis contentus erat aut non bono quaternas centesimas sperabat. Habes meam causam, quae si Bruto non probatur, nescio cur illum amemus, sed avunculo eius certe probabitur, praesertim cum senatus consultum modo factum sit, puto, postquam tu es profectus, in creditorum causa, ut centesimae perpetuo fenore ducerentur: hoc quid intersit, si tuos digitos novi, certe habes subductum.

Cicero, *ad Att.* v. 21. 12.

THE HOME-LOVING MAN NEAR VERONA.

170. Felix, qui patriis aevum transegit in agris,
ipsa domus puerum quem videt, ipsa senem,
qui baculo nitens, in qua reptavit arena,
unius numerat saecula longa casae.
frugibus alternis, non consule, computat annum:
autumnum pomis, ver sibi flore notat.
idem condit ager Soles idemque reducit:
metiturque suo rusticus orbe diem,
ingentem meminit parvo qui germine quercum,
aequaevumque videt consenuisse nemus:
proxima cui nigris Verona remotior Indis:
Benacumque putat litora Rubra lacum.
sed tamen indomitae vires firmisque lacertis
aetas robustum tertia cernit avum.
erret, et extremos alter scrutetur Hiberos:
plus habet hic vitae, plus habet ille viae.

CLAUDIAN, *Epigr.* 2.

SPEECH OF G. LICINIUS MACER, TRIB. PL. B.C. 73.

171. Magna illa consulum imperia et patrum decreta vos exsequendo rata efficitis, Quirites, ultroque licentiam in vos auctum atque adiutum properatis. Neque ego vos ultum iniurias hortor; magis uti requiem cupiatis; neque discordias, ut illi criminantur, sed earum finem volens, iure gentium res repeto, et, si pertinaciter retinebunt, non arma neque secessionem, tantummodo ne amplius san-

guinem vestrum praebeatis, censebo. Gerant habeantque suo modo imperia; quaerant triumphos; Mithridatem, Sertorium et relliquias exsulum persequantur cum imaginibus suis; absit periculum et labos, quibus nulla pars fructus est. Nisi forte repentina ista frumentaria lege munia vestra pensantur; qua tamen quinis modiis libertatem omnium aestumavere, qui profecto non amplius possunt alimentis carceris. Namque, ut illis exiguitate mors prohibetur, senescunt vires, sic neque absolvit cura familiari tam parva res, et ignaviam cuiusque tenuissuma spe frustratur; qua tamen quamvis ampla, quoniam servitii pretium ostentaretur, cuius torpedinis erat decipi et vestrarum rerum ultro iniuria gratiam debere? Namque alio modo neque valent in universos neque conabuntur.—SALUST, *Orat.*

GRANDIS FIT AUCTIO.

172. *Gelasimvs.* Damna euenerunt maxuma heu misero mihi :
ita me mancupia miserum adfecerunt male :
potationes plurumae demortuae :
quot adeo cenae, quas defleui, mortuae,
quot potiones mulsi, quot item prandia,
quae inter continuom perdidi triennium.
prae maerore adeo miser atque aegritudine
consenui : paene sum fame demortuos.
Crocotivm. Ridiculus aeque nullust quam quando esurit.
Gel. Nunc auctionem facere decretumst mihi :
foras necessumst quidquid habeo uendere.

adeste sultis : praeda erit praesentium.
logos ridiculos uendo. age licemini.
quis cena poscit? ecqui poscit prandio?
Herculeo stabunt prandio, cena tibi.
ehem, adnuistin? nemo meliores dabit
cavillationes, adsentatiunculas
ac perieratiunculas parasiticas.
robiginosam strigilem, ampullam rubidam
ad unctiones graecas sudatorias
uendo; puluillos malacos crapularios:
parasitum inanem, quo recondas reliquias.
haec ueniuisse iam opus est quantum potest.

PLAUT. *Stich.* i. 3. 209 (ii. 1).

173. M . P . VERTVLEIEIS . C . F

QVOD . RE . SVA . DIFEIDENS . ASPERE . AFLEICTA
PARENS . TIMENS . HEIC . VOVIT . VOTO . HOC . SOLVTO
DECVMA . FACTA . POLOVCTA . LEIBEREIS . LVBENTES
DONV . DANVNT . HERCOLEI . MAXSVME . MERETO
SEMOL . TE . ORANT . SE . VOTI . CREBRO . CONDEMNES.

[1] *Inscriptio ex Coll. Orell.* 5733.

173*. uirtutesgenerismieismoribusaccum . . . aui
progeniemgenuifactapatrispetiei
maiorum optenuilaudem ut sibeime ess ecreatum
laetentur stirpem nobilitauithon or.

[1] *Corp. I. R.* 38.

[1] See Roby's *Lat. Gr.* part i. p. 422, 423.

CHARACTER OF M. PORCIUS CATO MAIOR.

174. Sed omnes patricios plebeiosque nobilissimarum familiarum M. Porcius longe anteibat. in hoc viro tanta vis animi ingeniique fuit, ut quocumque loco natus esset, fortunam sibi ipse facturus fuisse videretur. nulla ars neque privatae neque publicae rei gerendae ei defuit: urbanas rusticasque res pariter callebat. ad summos honores alios scientia iuris, alios eloquentia, alios gloria militaris provexit: huic versatile ingenium sic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres quodcumque ageret: in bello manu fortissimus multisque insignibus clarus pugnis, idem postquam ad magnos honores pervenit, summus imperator, idem in pace, si ius consuleres, peritissimus, si causa oranda esset, eloquentissimus, nec is tantum cuius lingua vivo eo viguerit, monumentum eloquentiae nullum exstet: vivit immo vigetque eloquentia eius sacrata scriptis omnis generis. orationes et pro se multae et pro aliis et in alios: nam non solum accusando sed etiam causam dicendo fatigavit inimicos. simultates nimio plures et exercuerunt eum et ipse exercuit eas; nec facile dixeris, utrum magis presserit eum nobilitas, an ille agitaverit nobilitatem. asperi procul dubio animi et linguae acerbae et immodice liberae fuit, sed invicti a cupiditatibus animi, rigidae innocentiae, contemptor gratiae et divitiarum. in parsimonia, in patientia laboris periculique ferrei prope corporis animique, quem ne senectus quidem, quae solvit omnia, fregerit.

Livy, xxxix. 40.

MIROR EQUIDEM QUOD NON RIDEAT HARUSPEX HARUSPICEM QUOM VIDERIT.

175. Coniectura omnis, in qua nititur divinatio, ingeniis hominum in multas ac diversas aut etiam contrarias partes saepe diducitur. ut enim in causis iudicialibus alia coniectura est accusatoris, alia defensoris, et tamen utriusque credibilis: sic in omnibus eis rebus quae coniectura investigari videntur anceps reperitur oratio. quas autem res tum natura tum casus adfert—nonnumquam etiam errorem creat similitudo—magna stultitia est earum rerum deos facere effectores, causas rerum non quaerere.—sanguinem pluisse senatui nuntiatum est, Atratum etiam fluvium fluxisse sanguine, deorum sudasse simulacra. num censes his nuntiis Thalem aut Anaxagoram aut quemquam physicum crediturum fuisse? nec enim sanguis nec sudor nisi e corpore est. sed et decoloratio quaedam ex aliqua contagione terrena maxime potest sanguinis similis esse et humor adlapsus extrinsecus, ut in tectoriis videmus austro, sudorem videtur imitari. atque haec in bello plura et maiora videntur timentibus, eadem non tam animadvertuntur in pace. accedit illud etiam quod in metu et periculo cum creduntur facilius tum finguntur impunius. nos ita leves atque inconsiderati erimus ut, si mures corroserint aliquid, quorum est opus hoc unum, monstrum putemus? ante vero Marsicum bellum quod clipeos Lanuvii mures rosissent, maximum id portentum haruspices esse dixerunt, quasi vero quidquam intersit mures diem noctem aliquid rodentes scuta an cribra corroserint! nam si ista sequimur, quod Platonis

'Politiam' nuper apud me mures corroserunt, de re publica debui pertimescere aut, si Epicuri 'de Voluptate' liber corrosus esset, putarem annonam in macello cariorem fore.—Cicero, *de Divinatione*, ii. 26.

FIRE IN ROME, A.D. 64.

176. Sequitur clades, forte, an dolo principis incertum: nam utrumque auctores prodidere: sed omnibus, quae huic urbi per violentiam ignium acciderunt, gravior atque atrocior. initium in ea parte Circi ortum, quae Palatino Caelioque montibus contigua est. ubi per tabernas, quibus id mercimonium inerat, quo flamma alitur, simul coeptus ignis, et statim validus, ac vento citus, longitudinem Circi corripuit. neque enim domus munimentis septae, vel templa muris cincta, aut quid aliud morae interiacebat. impetu pervagatum incendium, plana primum, deinde in edita adsurgens, et rursus inferiora populando anteiit remedia velocitate mali, et obnoxia urbe arctis itineribus hucque et illuc flexis, atque enormibus vicis, qualis vetus Roma fuit. ad hoc lamenta paventium feminarum, fessa senum aut rudis pueritiae aetas, quique sibi, quique aliis consulebant, dum trahunt invalidos, aut opperiuntur, pars morans, pars festinans, cuncta impediebant: et saepe, dum in tergum respectant, lateribus aut fronte circumveniebantur: vel, si in proxima evaserant, illis quoque igni correptis, etiam, quae longinqua crediderant, in eodem casu reperiebantur. postremo, quid vitarent, quid peterent ambigui, complere vias, sterni per agros: quidam amissis omnibus fortunis diurni quoque victus,

alii caritate suorum, quos eripere nequiverant, quamvis patente effugio, interiere. nec quisquam defendere audebat, crebris multorum minis restinguere prohibentium; et quia alii palam faces iaciebant, atque sibi esse auctorem vociferabantur; sive ut raptus licentius exercerent, seu iussu.

Tacitus, *Annal.* xv. 38.

PLINY TO SABINIANUS.

177. Libertus tuus, cui succensere te dixeras, venit ad me, advolutusque pedibus meis, tanquam tuis, haesit: flevit multum, multumque rogavit, multum etiam tacuit: in summa, fecit mihi fidem paenitentiae. Vere credo emendatum, quia deliquisse se sentit. Irasceris, scio; et irasceris merito, id quoque scio: sed tunc praecipua mansuetudinis laus cum irae causa iustissima est. Amasti hominem, et, spero, amabis: interim sufficit ut exorari te sinas. Licebit rursus irasci, si meruerit, quod exoratus excusatius facies. Remitte aliquid adolescentiae ipsius, remitte lacrumis, remitte indulgentiae tuae: ne torseris illum, ne torseris etiam te. Vereor ne videar non rogare sed cogere, si precibus eius meas iunxero. Iungam tamen tanto plenius et effusius, quanto ipsum acrius severiusque corripui, destricte minatus nunquam me postea rogaturum. Hoc illi, quem terreri oportebat, tibi non idem; nam fortasse iterum rogabo, iterum impetrabo: sit modo tale ut rogare me praestare te deceat. Vale.—[1] Plin. *Ep.* ix. 21.

[1] Compare St. Paul's Epistle to Philemon.

TROUBLOUS TIMES IN ROME, B.C. 59.

178. S. V. B. E. Quom mihi dixisset Caecilius quaestor puerum se Romam mittere, haec scripsi raptim, ut tuos elicerem mirificos cum Publio dialogos, quom eos, de quibus scribis, tum illum, quem abdis et ais longum esse, quae ad ea responderis, perscribere: illum vero, qui nondum habitus est, quem illa [1] *βοῶπις*, quom e Solonio redierit, ad te est relatura, sic velim putes, nihil hoc posse mihi esse iucundius. Si vero, quae de me pacta sunt, ea non servantur, in caelo sum, ut sciat hic noster [2] Hierosolymarius traductor ad plebem, quam bonam meis putissimis orationibus gratiam rettulerit, quarum exspecta divinam *παλινῳδίαν*. Etenim, quantum coniectura auguramur, si erit nebulo iste cum his dynastis in gratia, non modo de [3] cynico consulari, sed ne de istis quidem piscinarum [4] Tritonibus poterit se iactare. Non enim poterimus ulla esse in invidia, spoliati opibus et illa senatoria potentia. Sin autem ab his dissentiet, erit absurdum in nos invehi. Verumtamen invehatur. Festive, mihi crede, et minore sonitu, quam putaram, orbis hic in republica est conversus: citius omnino, quam oportuit, id culpa Catonis, sed rursus improbitate istorum, qui auspicia, qui Aemiliam legem, qui Iuniam et Liciniam, qui Caeciliam et Didiam neglexerunt, qui omnia remedia reipublicae effuderunt, qui regna, qui praedia tetrarchis, qui immanes pecunias paucis dederunt. Video iam, quo invidia transeat, et ubi sit habitatura. Nihil me existimaris neque usu neque a Theophrasto

[1] Clodia, sister of P. Clodius. [2] Gn. Pompeius.
[3] M. T. Cicero. [4] Q. Hortensius, L. Lucullus.

didicisse, nisi brevi tempore desiderari nostra illa tempora videris. Etenim si fuit invidiosa senatus potentia, quom ea non ad populum, sed ad tris homines immoderatos redacta sit, quid iam censes fore? proinde isti licet faciant, quos volent, consules, tribunos plebis, denique etiam Vatinii strumam sacerdotii διβάφῳ vestiant; videbis brevi tempore magnos non modo eos, qui nihil titubarunt, sed etiam illum ipsum, qui peccavit, Catonem.

Cicero, *ad Att.* ii. 9.

Explain carefully the historical allusions.

If she will, she will, you may depend on't,
And if she won't, she won't, and there's an end on't.

179. Si tibi simplicitas uxoria, deditus uni
est animus, submitte caput cervice parata
ferre iugum: nullam invenies quae parcat amanti;
ardeat ipsa licet, tormentis gaudet amantis
et spoliis. Igitur longe minus utilis illi
uxor, quisquis erit bonus optandusque maritus.
nil unquam invita donabis coniuge, vendes
hac obstante nihil: nihil, haec si nolet, emetur;
haec dabit affectus: ille excludetur amicus
iam senior, cuius barbam tua ianua vidit.
'Pone crucem servo.' 'Meruit quo crimine servus
supplicium? quis testis adest? quis detulit?' Audi,
nulla unquam de morte hominis cunctatio longast.

O demens! ita servus homo est? Nil fecerit, esto:
hoc volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.

IUVENAL, vi. 206.

κόμπον ἐν χεροῖν ἔχων.

Stratophanes loquitur.

180. Ne exspectetis, spectatores, meas pugnas dum praedicem:
manibus duellis praedicare soleo, haut in sermonibus.
scio ego multos memoravisse milites mendacium,
ut Homeronidae, et postilla mille memorari potest,
qui et convicti et condemnati falsis de pugnis sient.
non laudandus est, quoi credit plus qui audit, quam qui videt;
non placet quom illi plus laudant qui audiunt quam qui vident:
pluris est oculatus testis unus quam auriti decem:
qui audiunt, audita dicunt, qui vident, plane sciunt.
non placet quem scurrae laudant, manipulares mussitant,
neque illi quorum lingua gladiatorum aciem praestringit domi.
strenui nimio plus prosunt populo quam arguti et cati:
facile sibi facunditatem virtus argutam invenit;

sine virtute argutum civem mihi habeam pro praefica,
quae alios collaudare, eapse sese vero non potest.

PLAUT. *Truc.* ii. 6, *init.*

THE PLAGUE AT ATHENS, B.C. 430.

θνῆσκον ἐπασσύτεροι.

181. Nec requies erat ulla mali: defessa iacebant
corpora: mussabat tacito medicina timore,
quippe patentia cum totiens ardentia morbis
lumina versarent oculorum expertia somno.
multaque praeterea mortis tum signa dabantur,
perturbata animi mens in maerore metuque,
triste supercilium, furiosus voltus et acer,
sollicitae porro plenaeque sonoribus aures,
creber spiritus aut ingens raroque coortus,
sudorisque madens per collum splendidus umor,
tenvia sputa minuta, croci contacta colore
salsaque, per fauces rauca vix edita tussi.
in manibus vero nervi trahere et tremere artus
a pedibusque minutatim succedere frigus,
non dubitabat: item ad supremum denique tempus
conpressae nares, nasi primoris acumen
tenve, cavati oculi, cava tempora, frigida pellis
duraque, in ore trucei rictum, frons tenta tumebat,
nec nimio rigidi post artus morte iacebant.
octavoque fere candenti lumine solis
aut etiam nona reddebant lampade vitam.

[1] LUCRET. vi. 1178.

[1] Compare Thucyd. ii. 47–53.

STATE OF THINGS IN ROME, JULY, 54 B.C.

182. Sequere nunc me in campum. Ardet ambitus; *σῆμα δέ τοι ἐρέω.*[1] Fenus ex triente Idib. Quint. factum erat bessibus. Dices: istuc quidem non moleste fero. O virum! O civem! Memmium Caesaris omnes opes confirmant: cum eo Domitium consules iunxerunt, qua pactione, epistulae committere non audeo. Pompeius fremit, queritur, Scauro studet: sed utrum fronte, an mente, dubitatur. *ἐξοχὴ* in nullo est: pecunia omnium dignitatem exaequat. Messalla languet, non quo aut animus desit, aut amici, sed coitio consulum et Pompeius obsunt. Ea comitia puto fore ut ducantur. Tribunicii candidati iurarunt se arbitrio Catonis petituros: apud eum H-S quingena deposuerunt, ut, qui a Catone damnatus esset, id perderet, et competitoribus tribueretur. Haec ego pridie scribebam quam comitia fore putabantur; sed ad te v. Kal. Sext. si facta erunt, et tabellarius non erit profectus, tota comitia perscribam, quae si, ut putantur, gratuita fuerint, plus unus Cato potuerit quam omnes quidem iudices.—CICERO, *ad Att.* iv. 15.

VEII.

183. Dedi inde inermes coepti, et ad praedam miles permissu dictatoris discurrit: quae quom ante oculos eius aliquantum spe atque opinione maior, maiorisque pretii rerum ferretur, dicitur manus ad caelum tollens precatus esse, ut, si cui Deorum

[1] Homer *Il.* xxiii. 326.

hominumque nimia sua fortuna populique Romani videretur, ut eam invidiam lenire quam minimo suo privato incommodo publicoque populo Romano liceret. Convertentem se inter hanc venerationem, traditur memoriae prolapsum cecidisse: idque omen pertinuisse postea eventu rem coniectantibus visum ad damnationem ipsius Camilli, captae deinde urbis Romanae, quod post paucos accidit annos, cladem. Atque ille dies caede hostium ac direptione urbis opulentissimae est consumtus. Postero die libera corpora dictator sub corona vendidit. ea sola pecunia in publicum redigitur, haud sine ira plebis. et quod rettulere secum praedae, nec duci, qui ad senatum, malignitatis auctores quaerendo, rem arbitrii sui reiecisset; nec senatui, sed Liciniae familiae, ex qua filius ad senatum rettulisset, pater tam popularis sententiae auctor fuisset, acceptum referebant.—Liv. v. 21, 22.

SIEGE OF ALESIA BY G. IUL. CAESAR, B.C. 52.

184. Ad haec rursus opera addendum Caesar putavit, quo minore numero militum munitiones defendi possent. Itaque truncis arborum, aut admodum firmis ramis abscissis, atque horum delibratis atque praeacutis cacuminibus, perpetuae fossae quinos pedes altae, ducebantur. Huc illi stipites demissi, et ab infimo revincti, ne revelli possent, ab ramis eminebant. Quini erant ordines coniuncti inter se atque implicati, quo qui intraverant se ipsi acutissimis vallis induebant: hos *cippos* appellabant. Ante hos, obliquis ordinibus in quincuncem dispositis, scrobes

trium in altitudinem pedum fodiebantur, paulatim angustiore ad infimum fastigio. Huc teretes stipites feminis crassitudine, ab summo praeacuti, et praeusti, demittebantur; ita ut non amplius IV. digitis ex terra eminerent. Simul confirmandi et stabiliendi caussa singuli ab infimo solo pedes terra exculcabantur: reliqua pars scrobis ad occultandas insidias viminibus ac virgultis integebatur. Huius generis octoni ordines ducti ternos inter se pedes distabant: id ex similitudine floris *Lilium* appellabant. Ante haec taleae pedem longae ferreis hamis infixis totae in terram infodiebantur, mediocribusque intermissis spatiis, omnibus locis disserebantur, quos *Stimulos* nominabant.—CAESAR, *B. G.* vii. 73.

EARLY CAREER OF L. LICIN. MURENA.

185. Quaesturam una petiit, et sum ego factus prior. Non est respondendum ad omnia: neque enim quemquam vestrum fugit, quom multi pares dignitate fiant, unus autem primum solus possit obtinere, non eumdem esse ordinem dignitatis et renuntiationis, propterea, quod renuntiatio gradus habeat, dignitas autem sit persaepe eadem omnium. Sed quaestura utriusque propemodum pari momento sortis fuit. Habuit hic lege Titia provinciam tacitam et quietam: tu illam, cui, quom quaestores sortiuntur, etiam acclamari solet, Ostiensem, non tam gratiosam et illustrem, quam negotiosam et molestam. Consedit utriusque nomen in quaestura. Nullum enim vobis sors campum dedit, in quo excurrere virtus cognoscique posset. Reliqui temporis spatium

in contentionem vocatur. Ab utroque dissimillima ratione tractatum est. Servius hic nobiscum hanc urbanam militiam respondendi, scribendi, cavendi, plenam sollicitudinis ac stomachi, secutus est: ius civile didicit: multum vigilavit, laboravit: praesto multis fuit: multorum stultitiam perpessus est, arrogantiam pertulit, difficultatem exsorbuit: vixit ad aliorum arbitrium, non ad suum. Magna laus et grata hominibus, unum hominem elaborare in ea scientia, quae sit multis profutura. Quid Murena interea? Fortissimo et sapientissimo viro, summo imperatori, legatus L. Lucullo fuit: qua in legatione duxit exercitum: signa contulit: manum conseruit: magnas copias hostium fudit: urbes partim vi, partim obsidione cepit: Asiam istam refertam et eamdem delicatam sic obiit, ut in ea neque avaritiae neque luxuriae vestigium reliquerit: maximo in bello sic est versatus, ut hic multas res et magnas sine imperatore gesserit, nullam sine hoc imperator.

CICERO, *pro Murena*, viii. 18.

PREPARATION FOR THE BURIAL OF GN. POMPEIUS MAGNUS.

186. Sic fatus, parvos iuvenis procul adspicit ignes,
corpus, vile suis, nullo custode, cremantes.
inde rapit flammas, semiustaque robora membris
subducens, 'Quaecumque es,' ait, 'neglecta, nec ulli
cara tuo, sed Pompeio felicior umbra,
quod iam compositum violat manus hospita bustum,

da veniam: si quid sensus post fata relictum est,
cedis et ipsa rogo, paterisque haec damna sepulcri,
teque pudet, sparsis Pompeii manibus, uri.'
sic fatur, plenusque sinus ardente favilla
pervolat ad truncum; qui fluctu paene relatus
litore pendebat. Summas dimovit harenas,
et collecta procul lacerae fragmenta carinae
exigua trepidus posuit scrobe. Nobile corpus
robora nulla premunt, nulla strue membra recumbunt:
admotus Magnum, non subditus, accipit ignis.

LUCAN, viii. 743.

SENSIBLE ARRANGEMENTS OF L. AEM. PAULLUS, ON TAKING THE COMMAND AGAINST PERSEUS, B.C. 168.

187. His satis exploratis, illa quoque primum, ut ordine ac sine tumultu omnia in agmine ad nutum imperiumque ducis fierent, providit. Ubi omnibus simul pronuntiaretur quod fieret, neque omnes exaudirent, incerto imperio accepto, alios, ab se adicientes, plus eo quod imperatum sit, alios minus facere; clamores deinde dissonos oriri omnibus locis, et prius hostes, quam ipsos, quid paretur scire. Placere igitur, tribunum militum primipilo legionis secretum edĕre imperium: illum et dein singulos proximo cuique in ordine centurioni dicere quid opus facto sit; sive a primis signis ad novissumum agmen, sive ab extremis ad primos perferendum imperium sit. Vigiles etiam novo more scutum in vigiliam

ferre vetuit: non enim in pugnam vigilem ire, ut armis utatur, sed ad vigilandum, ut, quom senserit hostium adventum, recipiat se, excitetque ad arma alios. Scuto prae se erecto stare galeatos: dein ubi fessi sint, innixos pilo, capite super marginem scuti posito, sopitos stare: ut fulgentibus armis procul conspici ab hoste possint, ipsi nihil provideant. Stationum quoque morem mutavit: armati omnes, et frenatis equis equites, diem totum perstabant: id quom aestivis diebus urente assiduo sole fieret, tot horarum aestu et languore ipsos equosque fessos integri saepe adorti hostes, vel pauci plures vexabant: itaque ex matutina statione ad meridiem decedi, et in postmeridianam succedere alios iussit: ita nunquam fatigatos recens hostis aggredi poterat.

Liv. xliv. 33.

APPEAL OF G. IUL. CAESAR, B.C. 49.

188. Coacto Senatu, iniurias inimicorum commemorat: docet se nullum extraordinarium honorem appetisse, sed expectato legitimo tempore consulatus, eo fuisse contentum, quod omnibus civibus pateret: latum ab x. Tribunis pl. contradicentibus inimicis, Catone vero acerrime repugnante, et pristina consuetudine dicendi mora dies extrahente, ut sui ratio absentis haberetur, ipso consule Pompeio: qui si improbasset, cur ferri passus esset? sin probasset, cur se uti populi beneficio prohibuisset? Patientiam proponit suam, quom de exercitibus dimittendis ultro postulavisset; in quo iacturam dignitatis atque honoris ipse facturus esset. Acerbitatem inimicorum

docet; qui, quod ab altero postularent, in se recusarent, atque omnia permisceri mallent, quam imperium exercitusque dimittere. Iniuriam in eripiendis legionibus praedicat; crudelitatem et insolentiam in circumscribendis Tribunis pl. condiciones a se latas et expetita colloquia et denegata commemorat; pro quibus rebus orat ac postulat, Remp. suscipiant, atque una secum administrent; sin timore defugiant, illis se oneri non futurum, et per se Rempubl. administraturum; legatos ad Pompeium de compositione mitti oportere: neque se reformidare, quod in senatu paulo ante Pompeius dixisset, ad quos legati mitterentur, iis auctoritatem attribui; timoremque eorum, qui mitterent, significari: tenuis atque infirmi haec animi videri: se vero, ut operibus anteire studuerit, sic iustitia et aequitate velle superare.—Caesar, *B. C.* i. 30 (32).

DIALOGUE BETWEEN M. T. CICERO AND T. POMPONIUS ATTICUS ON VARIOUS CONSTITUTIONAL MEASURES.

189. Uno in genere relinqui videbatur vocis suffragium quod ipse Cassius exceperat, perduellionis. Dedit huic quoque iudicio C. Caelius tabellam, doluitque quoad vixit se, ut opprimeret C. Popilium, nocuisse reipublicae. Et avus quidem noster singulari virtute in hoc municipio, quoad vixit, restitit M. Gratidio, cuius in matrimonio sororem, aviam nostram, habebat, ferenti legem tabellariam: excitabat enim fluctus in simpulo, ut dicitur, Gratidius, quos postea filius eius Marius in Aegaeo excitavit mari. Ac nostro quidem, cum res esset ad se delata, Scaurus consul,

Utinam, inquit, M. Cicero, isto animo atque virtute in summa republica nobiscum versari, quam in municipali maluisses! Quamobrem, quoniam non recognoscimus nunc leges populi Romani, sed aut repetimus adversas, aut novas scribimus, non quid hoc populo obtineri possit, sed quid optumum sit, tibi dicendum puto. Nam Cassiae legis culpam Scipio tuus sustinet, quo auctore lata esse dicitur. Tu, si tabellariam tuleris, ipse praestabis: nec enim mihi placet nec Attico nostro, quantum e voltu eius intellego. *Att.* Mihi vero nihil unquam populare placuit, eamque optumam rempublicam esse duco quam hic consul constituerat, quae sit in potestate optumorum. *Mar.* Vos demum, ut video, legem antiquastis sine tabella, sed ego, etsi satis dixit pro se in illis libris Scipio, tamen istam libertatem ita largior populo ut auctoritate et valeant et utantur boni. Sic enim a me recitata est lex de suffragiis: Optumatibus nota, plebi libera sunto. Quae lex hanc sententiam continet, ut omnes leges tolleret, quae postea latae sunt, quae tegunt omni ratione suffragium, ne quis inspiciat tabellam, ne roget, ne appellet. Pontes enim lex Maria fecit angustos.

Cicero, *de Legibus*, iii. 16. 36.

CICERO IS DISPLEASED AT AN AGRARIAN LAW OF GN. POMPEIUS.

190. Cenato mihi et iam dormitanti prid. Kal. Maias epistula est illa reddita in qua de agro Campano scribis. Quid quaeris? primo ita me pupugit ut somnum mihi ademerit, sed id cogitatione magis

quam molestia: cogitanti autem haec fere succurrebant: primum ex eo quod superioribus litteris scripseras, ex familiari te illius audisse prolatum iri aliquid quod nemo improbaret, maius aliquid timueram: hoc mihi eiusmodi non videbatur. Deinde, ut me egomet consoler, omnis exspectatio largitionis agrariae in agrum Campanum videtur esse derivata, qui ager, ut dena iugera sint, non amplius hominum quinque milia potest sustinere: reliqua omnis multitudo ab iis abalienetur necesse est. Praeterea, si ulla res est, quae bonorum animos, quos iam video esse commotos, vehementius possit incendere, haec certe est, et eo magis, quod portoriis Italiae sublatis, agro Campano diviso, quod vectigal superest domesticum, praeter vicesimam? quae mihi videtur una contiuncula clamore pedisequorum nostrorum esse peritura. Gnaeus quidem noster iam plane quid cogitet nescio:

φυσᾷ γὰρ οὐ σμικροῖσιν αὐλίσκοις ἔτι,
ἀλλ' ἀγρίαις φύσαισι, φορβειᾶς ἄτερ.[1]

CICERO, *ad Att.* ii. 16.

QUID OPTANDUM FORET IGNORASSE FATEMUR SEIANUM.

191. Ad ea Tiberius, laudata pietate Seiani suisque in eum beneficiis modice percursis, cum tempus tanquam ad integram consultationem petivisset, adiunxit Ceteris mortalibus in eo stare consilia quid sibi conducere putent, principum diversam esse sortem, quibus praecipua rerum ad famam dirigenda: ideoque se non illuc decurrere quod promptum re-

[1] Soph. *Fragm.* 753.

scriptu, posse ipsam Liviam statuere nubendum post Drusum an in penatibus isdem tolerandum haberet; esse illi matrem et aviam, propiora consilia. Simplicius acturum. De inimicitiis primum Agrippinae, quas longe acrius arsuras, si matrimonium Liviae velut in partes domum Caesarum distraxisset: sic quoque erumpere aemulationem feminarum, eaque discordia nepotes suos convelli. Quid si intendatur certamen tali coniugio? 'Falleris enim, Seiane, si te mansurum in eodem ordine putas, et Liviam, quae G. Caesari,' mox Druso nupta fuerit, ea mente acturam ut cum equite Romano senescat: ego ut sinam, credisne passuros qui fratrem eius, qui patrem maioresque nostros in summis imperiis videre? Vis tu quidem istum intra locum sistere: sed illi magistratus et primores, qui, te invito, perrumpunt omnibusque de rebus consulunt, excessisse iam pridem equestre fastigium longeque antisse patris mei amicitias non occulti ferunt, perque invidiam tui me quoque incusant. At enim Augustus filiam suam equiti Romano tradere meditatus est. Mirum hercle, si cum in omnis curas distraheretur, immensumque attolli provideret quem coniunctione tali super alios extulisset, G. Proculeium et quosdam in sermonibus habuit insigni tranquillitate vitae, nullis reipublicae negotiis permixtos. Sed si dubitatione Augusti movemur, quanto validius est quod Marco Agrippae, mox mihi collocavit! Atque ego haec pro amicitia non occultavi: ceterum neque tuis neque Liviae destinatis adversabor. Ipse quid intra animum volutaverim, quibus adhuc necessitudinibus immiscere te mihi parem, omittam ad praesens referre: id

tantum aperiam nihil esse tam excelsum quod non virtutes istae tuusque in me animus mereantur, datoque tempore vel in senatu vel in contione non reticebo.—Tac. *Ann.* iv. 40.

*MISERABLE DEATH OF *DRUSUS, THE GRAND-NEPHEW OF TIBERIUS, A.D* 33.

192. Drusus deinde extinguitur, cum se miserandis alimentis, mandendo e cubili tomento, nonum ad diem detinuisset. Tradidere quidam praescriptum fuisse Macroni, si arma ab Seiano temptarentur, extractum custodiae iuvenem,—nam in Palatio attinebatur—ducem populo imponere. Mox quia rumor incedebat fore ut nuru ac nepoti conciliaretur Caesar, saevitiam quam paenitentiam maluit. Quin et invectus in *defunctum, probra corporis, exitiabilem in suos, infensum reipublicae animum obiecit, recitarique factorum dictorumque eius descripta per dies iussit, quo non aliud atrocius visum. Adstitisse tot per annos, qui vultum, gemitus, occultum etiam murmur exciperent, et potuisse avum audire, legere, in publicum promere, vix fides, nisi quod Attii centurionis et Didymi liberti epistulae servorum nomina praeferebant, ut quis egredientem cubiculo Drusum pulsaverat, exterruerat. Etiam sua verba centurio saevitiae plena, tanquam egregium, vocesque deficientis adiecerat, quis primo alienationem mentis simulans quasi per dementiam funesta Tiberio, mox ubi exspes vitae fuit, meditatas compositasque diras imprecabatur, ut quemadmodum nurum filiumque fratris et nepotes domumque omnem caedibus com-

plevisset, ita poenas nomini generique maiorum et posteris exsolveret. Obturbabant quidem patres specie detestandi, sed penetrabat pavor et admiratio callidum olim et tegendis sceleribus obscurum huc confidentiae venisse ut tamquam dimotis parietibus ostenderet nepotem sub verbere centurionis, inter servorum ictus, extrema vitae alimenta frustra orantem.—Tac. *Ann.* vi. 23.

PLINY BEGS THE IMMEDIATE AND EXCLUSIVE ATTENTION OF ROMANUS TO HIS MANAGEMENT OF THE CASE OF ACCIA VARIOLA.

193. [1] Tollite cuncta, inquit, coeptosque auferte labores. Seu scribis aliquid, seu legis, tolli, auferri iube, et accipe orationem meam, ut illa [1] arma, divinam. Num superbius potui? revera, ut inter meas, pulcram: nam mihi satis est certare mecum. Est haec pro Accia Variola, et dignitate personae, et exempli raritate, et iudicii magnitudine insignis. Nam femina splendide nata, nupta praetorio viro, exheredata ab octogenario patre, intra undecim dies, quam illi novercam amore captus induxerat, quadruplici iudicio bona paterna repetebat. Sedebant iudices clxxx, tot enim quattuor consiliis colliguntur: ingens utrimque advocatio, et numerosa subsellia: praeterea densa circumstantium corona latissimum iudicium multiplici circulo ambibat. Ad hoc stipatum tribunal, atque etiam ex superiore basilicae parte, qua feminae, qua viri, te audiendi, quod difficile, et, quod facile, visendi studio imminebant. Magna

[1] See Verg. *Aen.* viii. 439.

expectatio patrum, magna filiarum, magna etiam novercarum. Secutus est varius eventus: nam duobus consiliis vicimus, totidem victi sumus. Notabilis prorsus res et mira, eadem in causa, iisdem iudiciis, iisdem advocatis, eodem tempore tanta diversitas accidit casu quod non casus videretur. Victa est noverca: ipsa heres ex parte sexta. Victus Suberinus, qui, exheredatus a patre, singulari impudentia alieni patris bona vindicabat, non ausus sui petere.—Plin. *Ep.* vi. 33.

PERFIDA TELA CAVE.

194. Artifices lateris scaenae spectacula amantur,
tantum mobilitas illa decoris habet.
parva monere pudet, talorum ducere iactus
ut sciat, et vires, tessera missa, tuas;
et modo tres iactet numeros, modo cogitet, apte
quam subeat partem callida, quamque vocet.
cautaque non stulte latronum praelia ludat:
unus cum gemino calculus hoste perit:
bellatorque sua prensus sine compare bellat,
aemulus et coeptum saepe recurrit iter.
reticulaeque pilae leves fundantur operto,
nec, nisi quam tolles, ulla movenda pilast.
est genus in totidem tenui ratione redactum
scriptula, quot menses lubricus annus habet.
parva tabella capit ternos utrimque lapillos,
in qua vicisse est continuasse suos.
mille facesse iocos; turpe est nescire puellam
ludere: ludendo saepe paratur amor.

Ovid, *A. A.* iii. 351.

STRICT DISCIPLINE.

195. Eodem anno Postumia virgo Vestalis causam dixit, crimine innoxia, ob suspitionem propter cultum amoeniorem ingeniumque liberius quam virginem decet, parum abhorrens famam. Ampliatam deinde absolutam pro collegii sententia pontifex maximus abstinere iocis colique sancte potius quam scite iussit.—Liv. iv. 44.

ON THE DEATH OF MARCELLUS, THE NEPHEW OF AUGUSTUS, AT BAIAE, B.C. 23.[1]

196. Clausus ab umbroso qua alludit Pontus Averno
fumida Baiarum stagna tepentis aquae,
qua iacet et Troiae tubicen Misenus harena,
et sonat Herculeo structa labore via,
hic, ubi, mortales dextra quom quaereret urbes,
cymbalo Thebano concrepuere deo,—
at nunc, invisae magno cum crimine Baiae,
quis deus in vestra constitit hostis aqua?—
his pressus Stygias voltum demisit in undas,
errat et in vostro spiritus ille lacu.
quid genus, aut virtus, aut optuma profuit illi
mater, et amplexum Caesaris esse focos?
aut modo tam pleno fluitantia vela theatro,
et per maternas omnia gesta manus?
occidit, et misero steterat vigesimus annus;
tot bona tam parvo clausit in orbe dies.
i nunc, tolle animos, et tecum finge triumphos,
stantiaque in plausum tota theatra iuvent:

[1] Cf. Verg. *Aen.* vi. 860 *seq.*

Attalicas supera vestes, atque omnia magnis
gemmea sint ludis: ignibus ista dabis.
sed tamen huc omnes, huc primus et ultimus ordo,
est mala, sed cunctis ista terenda viast.
exoranda canis tria sunt latrantia colla,
scandendast torvi publica cumba senis.
Nirea non facies, non vis exemit Achillen,
Croesum aut Pactoli quas parit umor opes.
hic olim ignaros luctus populavit Achivos,
Atridae magno quom stetit alter amor.

PROPERT. iv. 18.

THE POET ASKS FOR THE PATRONAGE OF PAULUS.

197. Gratus sic tibi, Paule, sit December,
nec vani triplices brevesque mappae,
nec turis veniant leves selibrae,
sed lances ferat et scyphos avorum
aut grandis reus aut potens amicus,
seu quod te potius iuvat capitque.
sic vincas Noviumque Publiumque
mandris et vitreo latrone clusos;
sic palmam tibi de trigone nudo
unctae det favor arbiter coronae,
nec laudet Polybi magis sinistras:
si quisquam mea dixerit malignus
atro carmina quae madent veneno,
ut vocem mihi commodes patronam,
et quantum poteris, sed usque, clames:
Non scripsit meus ista Martialis!

MARTIAL, vii. 72.

ARIADNE.

198. Sicine me patriis avectam, perfide, ab aris,
perfide, deserto liquisti in litore, Theseu?
sicine discedens, neglecto numine divom,
inmemor a! devota domum periuria portas?
nullane res potuit crudelis flectere mentis
consilium? tibi nulla fuit clementia praesto,
inmite ut nostri vellet miserescere pectus?
at non haec quondam blanda promissa dedisti
voce mihi; non hoc miseram sperare iubebas:
sed conubia laeta, sed optatos hymenaeos,
quae cuncta aërei discerpunt irrita venti;
tum iam nulla viro iuranti femina credat,
nulla viri speret sermones esse fideles:
quis dum aliquid cupiens animus praegestit apisci,
nil metuunt iurare, nihil promittere parcunt:
sed simul ac cupidae mentis satiata libido est,
dicta nihil metuere, nihil periuria curant.
certe ego te in medio versantem turbine leti
eripui, et potius germanum amittere crevi,
quam tibi fallaci supremo in tempore deessem.
pro quo dilaceranda feris dabor, alitibusque
praeda, neque iniacta tumulabor mortua terra.
CATULL. lxiv. 132.

THE DRUIDS.

199. Disciplina in Britannia reperta atque inde in Galliam translata esse existimatur, et nunc, qui diligentius eam rem cognoscere volunt, plerumque

illo discendi causa proficiscuntur. Druides a bello abesse consuerunt neque tributa una cum reliquis pendunt, militiae vacationem omniumque rerum habent immunitatem. Tantis excitati praemiis et sua sponte multi in disciplinam conveniunt et a parentibus propinquisque mittuntur. Magnum ibi numerum versuum ediscere dicuntur. Itaque annos nonnulli vicenos in disciplina permanent. Neque fas esse existumant ea litteris mandare, cum in reliquis fere rebus, publicis privatisque rationibus, Graecis litteris utantur. Id mihi duabus de causis instituisse videntur, quod neque in volgum disciplinam efferri velint neque eos, qui discunt, litteris confisos minus memoriae studere; quod fere plerisque accidit, ut praesidio litterarum diligentiam in perdiscendo ac memoriam remittant. Imprimis hoc volunt persuadere, non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios, atque hoc maxime ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto. Multa praeterea de sideribus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de deorum immortalium vi ac potestate disputant et iuventuti tradunt.—CAES. *B. G.* vi. 13.

TWO REMARKABLE DREAMS.

200. Quid? illa duo somnia, quae creberrime commemorantur a Stoicis, quis tandem potest contemnere? unum de Simonide: qui quom ignotum quemdam proiectum mortuum vidisset, eumque humavisset, haberetque in animo navem conscendere, moneri visus est, ne id faceret, ab eo, quem

sepultura affecerat; si navigasset, eum naufragio esse periturum; itaque Simonidem redisse; perisse ceteros, qui tum navigassent. Alterum ita traditum, clarum admodum somnium. Quom duo quidam Arcades familiares iter una facerent, et Megaram venissent, alterum ad cauponem devertisse, ad hospitem alterum. Qui ut cenati quiescerent, concubia nocte visum esse in somnis ei, qui erat in hospitio, illum alterum orare, ut subveniret, quod sibi a caupone interitus pararetur; eum primo perterritum somnio surrexisse; dein quom se collegisset idque visum pro nihilo habendum esse duxisset, recubuisse; tum ei dormienti eumdem illum visum esse rogare, ut, quoniam sibi vivo non subvenisset, mortem suam ne inultam esse pateretur, se interfectum in plaustrum a caupone esse coniectum, et supra stercus iniectum; petere, ut mane ad portam adesset, priusquam plaustrum ex oppido exiret. Hoc vero eum somnio commotum, mane bubulco praesto ad portam fuisse; quaesisse ex eo, quid esset in plaustro: illum perterritum fugisse, mortuum erutum esse; cauponem, re patefacta, poenas dedisse.

Cicero, *de Divin.* i. 27. 56.

NON OMNIA POSSUMUS OMNES.

201. Tria sunt omnino genera dicendi, quibus in singulis quidam floruerunt, peraeque autem, id quod volumus, perpauci in omnibus. Nam et grandiloqui, ut ita dicam, fuerunt cum ampla et sententiarum gravitate et maiestate verborum, vehementes, varii, copiosi, graves, ad permovendos et convertendos

animos instructi et parati—quod ipsum alii aspera tristi horrida oratione, neque perfecta neque conclusa, alii levi et structa et terminata—et contra tenues acuti, omnia docentes et dilucidiora non ampliora facientes, subtili quadam et pressa oratione limati: in eodemque genere alii callidi, sed impoliti et consulto rudium similes et imperitorum, alii in eadem ieiunitate concinniores, id est faceti, florentes etiam et leviter ornati. Est autem quidam interiectus inter hos medius et quasi temperatus nec acumine posteriorum nec flumine utens superiorum, vicinus amborum, in neutro excellens, utriusque particeps, vel utriusque, si verum quaerimus, potius expers. Isque uno tenore, ut aiunt, in dicendo fluit, nihil adferens praeter facilitatem et aequabilitatem, aut addit aliquos ut in corona toros, omnemque orationem ornamentis modicis verborum sententiarumque distinguit.—Cicero, *Orator*, vi. 20.

INTERVIEW BETWEEN BRUTUS, CASSIUS, AND CICERO, JUNE, 44 B.C., AT OR NEAR ANTIUM.

202. Antium veni a. d. vi. Id. Bruto iucundus noster adventus: deinde, multis audientibus, Servilia, Tertulla, Porcia, quaerere quid placeret: aderat etiam Favonius. Ego, quod eram meditatus in via, suadere ut uteretur Asiatica curatione frumenti: nihil esse iam reliqui quod ageremus, nisi ut salvus esset: in eo etiam ipsi reipublicae esse praesidium. Quam orationem cum ingressus essem, Cassius intervenit: ego eadem illa repetivi. Hoc loco, fortibus sane oculis Cassius—Martem spirare diceres—‘ se in Sici-

liam non iturum. Egone, ut beneficium accepisse in contumeliam?' 'Quid ergo agis?' inquam. At ille 'in Achaiam se iturum.' 'Quid tu,' inquam, 'Brute?' 'Romam' inquit, 'si tibi videtur.' 'Mihi vero minime, tuto enim non eris.' 'Quid? si possem esse, placeretne?' Atque ut omnino neque nunc neque ex Praetura in provinciam ires: sed auctor non sum ut te urbi committas. Dicebam ea quae tibi profecto in mentem veniunt cur non esset tuto futurus. Multo inde sermone querebantur, atque id quidem Cassius maxime, amissas occasiones, Decimumque graviter accusabat. Ego negabam oportere praeterita: assentiebar tamen, cumque ingressus essem dicere quid oportuisset,—nec vero quidquam novi, sed ea quae cotidie omnes—nec tamen illum locum attingerem, quemquam praeterea oportuisse tangi, sed senatum vocari, populum ardentem studio vehementius incitari, totam susciperem rempublicam, exclamat *tua familiaris 'Hoc vero neminem unquam audivi.' Ego repressi, sed et Cassius mihi videbatur iturus:—etenim *Servilia pollicebatur se curaturam ut illa frumenti curatio de Senatus consulto tolleretur:—et noster cito deiectus est de illo inani sermone.—Cicero, *ad Att.* xv. 11.

TIBULLUS DOES NOT KNOW WHAT PRESENT TO SEND NEAERA ON THE MATRONALIA.[1]

203. Martis Romani festae venere Kalendae,—
exoriens nostris hinc fuit annus avis—
et vaga nunc certa discurrunt undique pompa
perque vias urbis munera perque domos.

[1] Cf. Hor. *C.* iii. 8. 1.

Dicite, Pierides, quonam donetur honore
seu mea, seu fallor, cara Neaera [1] tamen.
Carmine formonsae, pretio capiuntur avarae ;
gaudeat, ut digna est, versibus illa meis.
lutea sed niveum involvat membrana libellum,
pumex et canas tondeat ante comas ;
summaque praetexat tenuis fastigia chartae,
indicet ut nomen littera facta meum.
atque inter geminas pingantur cornua frontes ;
sic etenim comtum mittere oportet opus.
per vos, auctores huius mihi carminis, oro,
Castaliamque umbram Pieriosque lacus,
ite domum, cultumque illi donate libellum,
sicut erit : nullus defluat inde color.
Illa mihi referet, si nostri mutua curast,
an minor, an toto pectore deciderim.

TIBULL. iii. 1.

O IMITATORES, SERVUM PECUS.

204. Nam in magnis quoque auctoribus incidunt aliqua vitiosa et a doctis inter ipsos etiam mutuo reprehensa : atque utinam tam bona imitantes dicerent melius quam mala peius dicunt. nec vero saltem iis, quibus ad evitanda vitia iudicii satis fuit, sufficiat imaginem virtutis effingere, et solam, ut ita dixerim, cutem vel potius illas Epicuri figuras, quas e summis corporibus dicit effluere. Hoc autem his accidit, qui non introspectis penitus virtutibus ad primum se velut aspectum orationis aptarunt ; et cum felicissime cessit imitatio, verbis atque numeris sunt

[1] For emphatic position of adverb, cf. iii. 6. 56 : 'Perfida, sed, quamvis perfida, cara tamen.'

non multum differentes, vim dicendi atque inventionis non assequuntur, sed plerumque declinant in peius et proxima virtutibus vitia comprehendunt fiuntque pro grandibus tumidi, pressis exiles, fortibus temerarii, laetis corrupti, compositis exultantes, simplicibus neglegentes. Ideoque qui horride atque incomposite quidlibet illud frigidum et inane extulerunt, antiquis se pares credunt, qui carent cultu atque sententiis, Attici scilicet, qui praecisis conclusionibus obscuri, Sallustium atque Thucydidem superant; tristes ac ieiuni Pollionem aemulantur; otiosi et supini, si quid modo longius circumduxerunt, iurant ita Ciceronem locuturum fuisse. Noveram quosdam, qui se pulcre expressisse genus illud caelestis huius in dicendo viri sibi viderentur, si in clausula posuissent *esse videatur*.

QUINTIL. x. 2. 15.

WHICH IS TO WIN?

TRACHALIO, GRIPUS.

205. *Tr.* Tu istunc hodie non feres, nisi das sequestrum aut arbitrum,
quoius haec res arbitratu fiat. *Gr.* Quaeso sanun es?
Tr. sum elleborosus. *Gr.* At ego cerritus: hunc non amittam tamen.
Tr. verbum etiam adde unum, iam in cerebro colaphos apstrudam tuo.
ego iam hic te, itidem quasi peniculus nouos exurgeri solet,
ni hunc amittis, exurgebo quidquid humoris tibist.

Gr. tange: adfligam ad terram te itidem ut piscem soleo polypum.
vis pugnare? *Tr.* quid opust? quin tu potius praedam diuide.
Gr. hinc tu nisi malum frunisci nil potes, ne postules.
abeo ego hinc. *Tr.* at ego hinc offlectam nauem, nequo abeas: mane.
Gr. si tu proreta isti naui's, ego gubernator ero.
mitte rudentem [nunc], sceleste. *Tr.* mittam: omitte uidulum.
Gr. numquam hercle hinc hodie ramenta fies fortunatior.
Tr. non probare pernegando mihi potes, nisi pars datur
aut ad arbitrum reditur aut sequestro ponitur.
Gr. quemne ego excepi in mari? *Tr.* ast ego inspectaui e litore.
Tr. mea opera [et] labore et rete et horia.

PLAUT. *Rud.* iv. 3. 65 (1004).

REGALIS SANE SENTENTIA.

206. Quare neque me peregrinum posthac dixeris, ne gravius refutere: neque regem, ne derideare. Nisi forte regium tibi videtur, ita vivere, ut non modo homini nemini, sed ne cupiditati quidem ulli servias: contemnere omnes libidines: non auri, non argenti, non ceterarum rerum indigere: in senatu sentire libere: populi utilitati magis consulere, quam voluntati: nemini cedere, multis obsistere. Si hoc putas esse regium, me regem esse confiteor. Sin te potentia mea, si dominatio, si denique aliquod dictum

arrogans aut superbum movet, quin tu id potius profers, quam verbi invidiam contumeliamque maledicti? Ego, tantis a me beneficiis in republica positis, si nullum aliud mihi praemium a senatu populoque Romano, nisi honestum otium, postularem, quis non concederet? Sibi haberent honores, sibi imperia, sibi provincias, sibi triumphos, sibi alia praeclarae laudis insignia: mihi liceret eius urbis, quam conservassem, conspectu, tranquillo animo et quieto frui. Quid? si hoc non postulo: si ille labor meus pristinus, si sollicitudo, si officia, si operae, si vigiliae deserviunt amicis, praesto sunt omnibus; si neque amici in foro requirunt studium meum neque respublica in curia: si me non modo rerum gestarum vacatio, sed neque honoris, neque aetatis excusatio vindicat a labore; si voluntas mea, si industria, si domus, si animus, si aures patent omnibus; si mihi ne ad ea quidem, quae pro salute omnium gessi, recordanda et cogitanda quidquam relinquitur temporis: tamen hoc regnum appellabitur, cuius vicarius qui velit esse, inveniri nemo potest? Longe abest a me regni suspitio.—Cicero, *pro Sulla*, viii. 25.

A KNOTTY POINT.

207. Consules quom Scaptium non silentio modo sed cum adsensu etiam audiri animadvertissent, Deos hominesque testantes flagitium ingens fieri, Patrum primores arcessunt: cum his circumire tribus, orare, 'Ne pessimum facinus peiore exemplo admitterent iudices, in suam rem litem vertendo, quom praesertim, etiamsi fas sit curam emolumenti sui iudici esse, nequaquam tantum agro intercipiendo adquiratur,

quantum amittatur alienandis iniuria sociorum animis. Nam famae quidem ac fidei damna maiora esse, quam quae aestimari possent. Hoc legatos referre domum: hoc vulgari: hoc socios audire: hoc hostes: quo cum dolore hos? quo cum gaudio illos? Scaptione hoc, contionali seni, adsignaturos putarent finitimos populos? Clarum hac fore imagine Scaptium: populum Romanum quadruplatoris et interceptoris litis alienae personam laturum: quem enim hoc privatae rei iudicem fecisse, ut sibi controversiosam adiudicaret rem? Scaptium ipsum id quidem, etsi praemortui iam sit pudoris, non facturum.' Haec consules, haec Patres vociferantur: sed plus cupiditas et auctor cupiditatis Scaptius valet. Vocatae tribus iudicaverunt agrum publicum populi Romani esse.

Liv. iii. 72.

HIS SALTEM ACCUMULEM DONIS. TRIBUTE TO THE MEMORY OF A FATHER-IN-LAW.

208. Si quis piorum manibus locus, si, ut sapientibus placet, non cum corpore exstinguuntur magnae animae, placide quiescas, nosque, domum tuam, ab infirmo desiderio et muliebribus lamentis ad contemplationem virtutum tuarum voces, quas neque lugeri neque plangi fas est: admiratione te potius, et immortalibus laudibus, et, si natura suppeditet, aemulatu decoremus. Is verus honos, ea coniunctissimi cuiusque pietas. Id filiae quoque uxorique praeceperim, sic patris, sic mariti memoriam venerari, ut omnia facta dictaque ejus secum revolvant, famamque ac figuram animi magis quam corporis complectantur; non quia intercedendum putem

imaginibus, quae marmore aut aere finguntur, sed, ut vultus hominum, ita simulacra vultus imbecilla ac mortalia sunt; forma mentis aeterna; quam tenere et exprimere, non per alienam materiam et artem, sed tuis ipse moribus, possis. Quicquid ex Agricola amavimus, quicquid mirati sumus, manet mansurumque est in animis hominum, in aeternitate temporum, fama rerum. Nam multos veterum, velut inglorios et ignobiles, oblivio obruet: Agricola, posteritati narratus et traditus, superstes erit.

TACITUS, *Agricola*, 46.

LEX DE AMBITU.

209. Nunc hoc me orare a vobis iussit Iuppiter,
ut conquistores singula in supsellia
eant per totam caveam spectatoribus:
siquoi favitores delegatos viderint,
ut is in cavea pignus capiatur togae.
nam siqui palmam ambissint histrionibus:—
si quoiquam artifici seu per scriptas literas
seu qui ipse ambissit seu per internuntium:
sive adeo aediles perfidiose quoi duint:—
sirempse legem iussit esse Iuppiter,
quasi magistratum sibi alterive ambiverit.
virtute dixit vos victores vivere,
non ambitione neque perfidia: qui minus
eadem histrioni sit lex quae summo viro?
virtute ambire oportet, non favitoribus.
sat habet favitorum semper qui recte facit,
si illis fides est, quibus est ea res in manu.

PLAUTUS, *Amphit. Prol.* 64–80.

CICERO, MAY 2, 49 B.C., IS CONVINCED THAT CÆSAR'S POWER CANNOT STAND LONG.

210. Nullo modo posse video stare [1] istum diutius, quin ipse per se, etiam languentibus nobis, concidat, quippe qui florentissimus ac novus VI, VII diebus ipsi illi egenti ac perditae multitudini in odium acerbissimum venerit, qui duarum rerum simulationem tam cito amiserit, mansuetudinis in Metello, divitiarum in aerario. Iam quibus utatur vel sociis, vel ministris, si ii provincias, si rem publicam regent, quorum nemo duo menses potuit patrimonium suum gubernare? non sunt omnia colligenda, quae tu acutissime perspicis, sed tamen ea pone ante oculos: iam intelleges id regnum vix semestre esse posse. quod si me fefellerit, feram, sicut multi clarissimi homines in re publica excellentes tulerunt, nisi forte me Sardanapali vicem in lectulo mori malle censueris quam exsilio Themistocleo: qui cum fuisset, ut ait Thucydides,[2] *τῶν μὲν παρόντων δι' ἐλαχίστης βουλῆς κράτιστος γνώμων, τῶν δὲ μελλόντων ἐπὶ πλεῖστον τοῦ γενησομένου ἄριστος εἰκαστής*, tamen incidit in eos casus, quos vitasset, si eum nihil fefellisset: etsi is erat, ut ait idem, qui *τὸ ἄμεινον καὶ τὸ χεῖρον ἐν τῷ ἀφανεῖ ἔτι προεώρα μάλιστα*, tamen non vidit, nec quo modo Lacedaemoniorum, nec quo modo suorum civium invidiam effugeret nec quid Artaxerxi polliceretur. non fuisset illa nox tam acerba Africano, sapientissimo viro, non tam dirus ille dies Sullanus callidissimo viro G. Mario, si nihil utrumque eorum fefellisset. nos tamen hoc confirmamus illo augurio, quo diximus—nec nos fallit, nec aliter accidet.—

[1] G. Iul. Caesar. [2] Thuc. i. 138.

Corruat iste necesse est, aut per adversarios, aut ipse per se, qui quidem sibi est adversarius unus acerrimus; id spero vivis nobis fore; quamquam tempus est, nos de illa perpetua iam, non de hac exigua vita cogitare. sin quid acciderit maturius, haud sane mea multum interfuerit, utrum factum videam, an futurum esse multo ante viderim.

CICERO, *ad Att.* x. 8.

Explain the historical allusions, and show how far Cicero's prophecies were correct.

SIEGE OF SYRACUSE BY M. CL. MARCELLUS, B.C. 212.

211. Hi, quia spatio missilibus opus est, procul muro tenebant naves. iunctae aliae binae ad quinqueremes, demptis interioribus remis, ut latus lateri applicaretur, quom exteriore ordine remorum velut naves agerentur, turres contabulatas machinamentaque alia quatiendis muris portabant. Adversus hunc navalem apparatum Archimedes variae magnitudinis tormenta in muris disposuit. in eas, quae procul erant, naves saxa ingenti pondere emittebat: propiores levioribus, eoque magis crebris, petebat telis: postremo, ut sui vulnere intacti tela in hostem ingererent, murum ab imo ad summum crebris cubitalibus fere cavis aperuit; per quae cava pars sagittis, pars scorpionibus modicis ex occulto petebant hostem. Quae propius quaedam subibant naves, quo interiores ictibus tormentorum essent, in eas tollenone super murum eminente ferrea manus firmae catenae illigata quom iniecta prorae esset, gravi libramento plumbi recellente ad solum, sus-

pensa prora, navim in puppim statuebat: dein, remissa subito, velut ex muro cadentem navim cum ingenti trepidatione nautarum ita undae affligebat, ut, etiamsi recta reciderat, aliquantum aquae acciperet.—Livy, xxiv. 34.

νοῦσος κακή.

212. Labitur infelix studiorum atque immemor herbae
victor ecus fontesque avertitur et pede terram
crebra ferit: demissae aures, incertus ibidem
sudor, et ille quidem morituris frigidus: aret
pellis, et ad tactum tractanti dura resistit:
haec ante exitium primis dant signa diebus,
sin in processu coepit crudescere morbus,
tum vero ardentes oculi atque attractus ab alto
spiritus, interdum gemitu gravis, imaque longo
ilia singultu tendunt; it naribus ater
sanguis, et obsessas fauces premit aspera lingua.
profuit inserto latices infundere cornu
Lenaeos, ea visa salus morientibus una:
mox erat hoc ipsum exitio, furiisque refecti
ardebant, ipsique suos iam morte sub aegra—
Di meliora piis erroremque hostibus illum!—
discissos nudis laniabant dentibus artus.
ecce autem duro fumans sub vomere taurus
concidit, et mixtum spumis vomit ore cruorem,
extremosque ciet gemitus: it tristis arator,
maerentem abiungens fraterna morte iuvencum,
atque opere in medio defixa reliquit aratra.
Verg. *G.* iii. 498.

ON THE RETURN OF G. I. PROCULUS.

213. Gaius hanc lucem gemma mihi Iulius alba
signat, io, votis redditus, ecce, meis.
desperasse iuvat veluti iam rupta sororum
fila: minus gaudent qui timuere nihil.
Hypne, quid expectas, piger? immortale Falernum
funde, senem poscunt talia vota cadum.
quincunces et sex cyathos bessemque bibamus
GAIUS ut fiat IULIUS et PROCULUS.

Martial, xi. 36.

AN ORATOREM EVADERE CUIUSVIS EST?

214. Quod vero in extrema oratione quasi tuo iure sumpsisti, oratorem in omnis sermonis disputatione copiosissime versari posse, id, nisi hic in tuo regno essemus, non tulissem, multisque praeissem, qui aut interdicto tecum contenderent aut te ex iure manum consertum vocarent, quod in alienas possessiones tam temere irruisses. Agerent enim tecum lege primum Pythagorei omnes atque Democritii ceterique sua in iure physici vindicarent, ornati homines in dicendo et graves, quibuscum tibi iusto sacramento contendere non liceret. Urgerent praeterea philosophorum greges iam ab illo fonte et capite Socrate, nihil te de bonis rebus in vita, nihil de malis, nihil de animi permotionibus, nihil de hominum moribus, nihil de ratione vitae didicisse, nihil omnino quaesisse, nihil scire convincerent; et quom universi in te impetum fecissent, tum singulae familiae litem

tibi intenderent. Instaret Academia, quae, quidquid dixisses, id te ipsum negare cogeret. Stoici vero nostri disputationum suarum atque interrogationum laqueis te irretitum tenerent. Peripatetici autem etiam haec ipsa, quae propria oratorum putas esse adiumenta atque ornamenta dicendi, a se peti vincerent oportere; ac non solum meliora, sed etiam multo plura Aristotelem Theophrastumque de istis rebus, quam omnes dicendi magistros scripsisse ostenderent. Missos facio mathematicos, grammaticos, musicos, quorum artibus vestra ista dicendi vis ne minima quidem societate coniungitur. Quamobrem ista tanta tamque multa profitenda, Crasse, non censeo. Satis id est magnum, quod potes praestare, ut in iudiciis ea causa, quamcumque tu dicis, melior et probabilior esse videatur; ut in contionibus et in sententiis dicendis ad persuadendum tua plurimum valeat oratio; denique ut prudentibus diserte, stultis etiam vere videare dicere. Hoc amplius si quid poteris, non id mihi videbitur orator, sed Crassus sua quadam propria, non communi oratorum facultate posse.—Cicero, *de Or.* I. x. § 41–44.

ON VARIOUS MATTERS, POLITICAL AND DOMESTIC.

215. Ain tu? me existimas ab ullo malle mea legi probarique quam a te? cur igitur cuiquam misi prius? urgebar ab eo, ad quem misi, et non habebam exemplar. Quid? etiam—dudum enim circumrodo, quod devorandum est—subturpicula mihi videbatur esse *παλινῳδία*; sed valeant recta, vera, honesta

consilia. Non est credibile, quae sit perfidia in istis principibus, ut volunt esse et ut essent, si quidquam haberent fidei: senseram, noram inductus, relictus, proiectus ab iis; tamen hoc eram animo, ut cum iis in re publica consentirem. Iidem erant, qui fuerant: vix aliquando te auctore resipivi. Dices ea te monuisse, suasisse, quae facerem, non etiam ut scriberem. Ego mehercule mihi necessitatem volui imponere huius novae coniunctionis, ne qua mihi liceret labi ad illos, qui etiam tum, quom misereri mei debent, non desinunt invidere; sed tamen modici fuimus *ὑποθέσει*, ut scripsi: erimus uberiores, si et ille libenter accipiet et ii subringentur, qui villam me moleste ferunt habere, quae Catuli fuerat, a Vettio emisse non cogitant; qui domum negant oportuisse me aedificare, vendere aiunt oportuisse. Sed quid ad hoc, si, quibus sententiis dixi, quod et ipsi probarent, laetati sunt tamen me contra Pompeii voluntatem dixisse? Sed finis sit: quoniam, qui nihil possunt, ii me nolunt amare, demus operam, ut ab iis, qui possunt, diligamur. Dices: 'vellem iampridem.' Scio te voluisse et me asinum germanum fuisse; sed iam tempus est me ipsum a me amari, quando ab illis nullo modo possum. Domum meam quod crebro invisis, est mihi valde gratum: viaticum Crassipes praeripit. 'Tu de via recte in hortos:' videtur commodius ad te; postridie scilicet; quid enim tua? sed viderimus. Bibliothecam mihi tui pinxerunt constructione et [1] sittybis: eos velim laudes.—CICERO, *ad Att.* iv. 5.

[1] V. l. Sillybis.

DE VIA DOMITIANA LOQUITUR VOLTURNUS FLUVIUS.

216. At flavum caput umidumque late
crinem mollibus impeditus ulvis
[1] Volturnus levat ora maximoque
pontis [1] Caesarei reclinis arcu
raucis talia faucibus redundat:
'Camporum bone conditor meorum,
qui me vallibus aviis refusum
et ripas habitare nescientem
recti legibus alvei ligasti:
et nunc ille ego turbidus minaxque,
vix passus dubias prius carinas,
iam pontem fero perviusque calcor;
qui terras rapere et rotare silvas
assueram—pudet—Amnis esse coepi;
et grates ago, servitusque tanti est,
quod sub te duce, te iubente, cessi;
quod tu maximus arbiter meaeque
victor perpetuus legere ripae:
et nunc limite me colis beato,
nec sordere sinis malumque late
deterges sterilis soli pudorem;
nec me pulvereum gravemque caeno
Tyrrheni sinus obruat profundi;
sed talis ferar, ut nitente cursu
tranquillum mare proximumque possim

[1] Domitian constructed the V. Domitiana or Domitia, a branch of the V. Appia, from Sinuessa to Cumae and Puteoli, bridging the Vulturnus close to its mouth. See *Dict. of Geogy.* s. vv. Via Appia, Vulturnus.

puro gurgite provocare Lirim.'
Haec Amnis, pariterque se levabat
ingenti plaga marmorata dorso.
huius ianua prosperumque limen
arcus, belligeri ducis tropaeis
et totis Ligurum nitens metallis,
quantus nubila qui coronat imbri.
illic flectitur exitus viarum,
illic Appia se dolet relinqui.
tunc velocior acriorque cursus,
tunc ipsos iuvat impetus iugales;
ceu fessis ubi remigum lacertis
primae carbasa ventilatis aurae.

Statius, *Silv.* iv. 3. 67.

RHYTHMIC RULES.

217. Sequitur ergo ut qui maxime cadant in orationem aptam numeri videndum sit. Sunt enim qui iambicum putent, quod sit orationi simillimus, qua de causa fieri ut is potissimum propter similitudinem veritatis adhibeatur in fabulis, cum ille dactylicus numerus hexametrorum magniloquentiae sit accommodatior. Ephorus autem, levis ipse orator, et profectus ex optima disciplina, paeana sequitur aut dactylum, fugit autem spondeum et trochaeum. Quod enim paean habeat tres breves, dactylus autem duas, brevitate et celeritate syllabarum labi putat verba proclivius, contraque accidere in spondeo et trochaeo: eo quod alter e longis constet, alter e brevibus, fieri alteram nimis incitatam alteram nimis tardam orationem, neutram tempera-

tam. Sed et illi priores errant et Ephorus in culpa est. Nam et qui paeana praetereunt, non vident mollissimum a sese numerum eundemque amplissimum praeteriri. Quod longe [1]Aristoteli videtur secus, qui iudicat heroum numerum grandiorem quam desideret soluta oratio, iambum autem nimis e vulgari esse sermone. Ita neque humilem et abiectam orationem nec nimis altam et exaggeratam probat, plenam tamen eam vult esse gravitatis ut eos qui audient ad maiorem admirationem possit traducere. Trochaeum autem, qui est eodem spatio quo choreus, cordacem appellat, quia contractio et brevitas dignitatem non habeat. Ita paeana probat eoque ait uti omnes, sed ipsos non sentire cum utantur; esse autem tertium ac medium inter illos, et ita factos eos pedes esse ut in eis singulus modus insit, aut sesquiplex aut duplex aut par.

CICERO, *Orator.* lvii. 191.

NERONI NON DEBUIT UNA PARARI SIMIA NEC SERPENS UNUS NEC CULEUS UNUS.

218. At Neroni, nuntios patrati facinoris opperienti, adfertur 'evasisse ictu levi sauciam, et hactenus adito discrimine ne auctor dubitaretur.' Tum pavore exanimis et 'iam iamque adfore' obtestans vindictae properam, sive servitia armaret, vel militem accenderet, sive ad senatum et populum pervaderet, naufragium et volnus et interfectos amicos obiciendo: quod contra subsidium sibi, nisi quid Burrus et Seneca reperirent?—quos statim acciverat incertum an et ante ignaros. Igitur longum utriusque silen-

[1] Ar. *Rhet.* iii. 8. 4.

tium, ne inriti dissuaderent, an eo descensum credebant, ut, nisi praeveniretur Agrippina, pereundum Neroni esset. Post Seneca, hactenus promptior, respicere Burrum ac sciscitari an militi imperanda caedes esset. Ille 'praetorianos toti Caesarum domui obstrictos, memoresque Germanici nihil adversus progeniem eius atrox ausuros' respondit: perpetraret Anicetus promissa.' Qui, nihil cunctatus, poscit summam sceleris. Ad eam vocem Nero 'illo sibi die dari imperium, auctoremque tanti muneris libertum' profitetur. 'Iret propere, duceretque promptissimos ad iussa.' Ipse, audito venisse missu Agrippinae nuntium Agerinum, scenam ultro criminis parat, gladiumque, dum mandata perfert, abicit inter pedes eius. Tum quasi deprehenso vincla inici iubet, ut exitium principis molitam matrem et pudore deprehensi sceleris sponte mortem sumpsisse confingeret.

Tac. *Ann.* xiv. 7.

ON THE HONOURING BY MELIOR OF THE MEMORY OF BLAESUS.

219. Qui praestat pietate pertinaci
sensuro bona liberalitatis
captet forsitan aut vicem reposcat.
at si quis dare nomini relicto
post manes tumulumque perseverat,
quaerit quid, nisi parcius dolere?
refert sis bonus, an velis videri.
praestas hoc, Melior, sciente fama,
qui sollemnibus anxius sepulti
nomen non sinis interire Blaesi,

et de munifica profusus arca
ad natalicium diem colendum
scribarum memori piaeque turbae
quod donas, facis ipse Blaesianum.
hoc longum tibi, vita dum manebit,
hoc et post cineres erit tributum.

MARTIAL, viii. 38.

SOME OF THE EXCELLENCES OF AN ORATOR.

220. Ergo ille tenuis orator, modo sit elegans, nec in faciendis verbis erit audax et in transferendis verecundus et parcus in priscis, reliquisque ornamentis et verborum et sententiarum demissior; tralatione fortasse crebrior, qua frequentissime sermo omnis utitur non modo urbanorum, sed etiam rusticorum, siquidem est eorum 'gemmare vites, sitire agros, laetas esse segetes, luxuriosa frumenta;' nihil horum parum audacter, sed aut simile est illi unde transferas, aut si res suum nullum habet nomen, docendi causa sumptum, non ludendi videtur. Hoc ornamento liberius paulo quam ceteris utetur hic submissus, nec tam licenter tamen, quam si genere dicendi uteretur amplissimo. Itaque illud indecorum, quod quale sit ex decoro debet intellegi, hic quoque apparet cum verbum aliquod altius transfertur, idque in oratione humili ponitur, quod idem in alia deceret. Illam autem concinnitatem, quae verborum collocationem illuminat eis luminibus quae Graeci quasi aliquos gestus orationis *σχήματα* appellant, quod idem verbum ab eis etiam in sententiarum ornamenta transfertur, adhibebit quidem hic subtilis, quem nisi

quod solum, ceteroquin recte quidam vocant Atticum, sed paulo parcius. Nam sicut in epularum apparatu a magnificentia recedens non se parcum solum, sed etiam elegantem videri volet, eliget quibus utatur; sunt enim pleraque apta huius ipsius oratoris, de quo loquimur, parsimoniae. Nam illa, de quibus ante dixi, huic acuto fugienda sunt, paria paribus relata et similiter conclusa eodemque pacto cadentia et immutatione litterae quasi quaesitae venustates, ne elaborata concinnitas et quoddam aucupium delectationis manifesto deprehensum appareat.

CICERO, *Orator*. xxiv. 81.

ATROX SENECAE ANIMUS.

221. Ille interritus poscit testamenti tabulas, ac, denegante centurione, conversus ad amicos, quando meritis eorum referre gratiam prohiberetur, quod unum iam et pulcerrimum habebat, imaginem vitae suae relinquere testatur, cuius si memores essent bonarum artium famam tum constantis amicitiae laturos: simul lacrimas eorum, modo sermone, modo intentior, in modum coercentis, ad firmitudinem revocat, rogitans 'ubi praecepta sapientiae, ubi tot per annos meditata ratio adversum imminentia? cui enim ignaram fuisse saevitiam Neronis? neque aliud superesse, post matrem fratremque interfectos, quam ut educatoris praeceptorisque necem adiceret.' Ubi haec atque talia in commune disseruit, complectitur uxorem, et, paululum adversus praesentem fortitudinem mollitus, rogat oratque 'temperaret dolori, nec aeternum susciperet, sed in contemplatione vitae per virtutem actae desiderium mariti solaciis honestis toleraret.'

Illa contra sibi quoque destinatam mortem adseverat, manumque percussoris exposcit. Tum Seneca, gloriae eius non adversus, simul amore, ne sibi unice dilectam ad iniurias relinqueret, 'vitae' inquit 'delenimenta monstraveram tibi, tu mortis decus mavis: non invidebo exemplo: sit huius tam fortis exitus constantia penes utrosque par, claritudinis plus in tuo fine.' Post quae eodem ictu bracchia ferro exsolvunt. Seneca, quoniam senile corpus et parvo victu tenuatum lenta effugia sanguini praebebat, crurum quoque et poplitum venas abrumpit, saevisque cruciatibus defessus, ne dolore suo animum uxoris infringeret, atque ipse visendo eius tormenta ad inpatientiam delaberetur, suadet in aliud cubiculum abscedere, et, novissimo quoque momento suppeditante eloquentia, advocatis scriptoribus pleraque tradidit, quae, in vulgus edita eius verbis, invertere supersedeo.

TAC. *Ann.* xv. 62.

ON A CERTAIN SENATOR, ONCE A BRANDED SLAVE.

222. Rufe, vides illum subsellia prima terentem,
cuius et hinc ardet sardonychata manus,
quaeque Tyron totiens epotavere lacernae,
et toga non tactas vincere iussa nives;
cuius olet toto pinguis coma Marcelliano,
et splendent volso bracchia trita pilo;
non hesterna sedet lunata lingula planta,
coccina non laesum pingit aluta pedem,
et numerosa linunt stellantem splenia frontem.
Ignoras quid sit? splenia tolle, leges.

MARTIAL, ii. 29.

SAEVAM SAEVA DECENT.

223. Unus de toto peccaverat orbe comarum
anulus, incerta non bene fixus acu;
hoc facinus Lalage speculo quod viderat ulta est
et cecidit saevis icta Plecusa comis.
desine iam, Lalage, tristes ornare capillos,
tangat et insanum nulla puella caput:
hoc salamandra notet vel saeva novacula nudet,
dignior ut speculo fiat imago tuo.—*Ib.* ii. 66.

EITHER GIVE A PRESENT THAT IS WORTH SOMETHING, OR GIVE NOTHING AT ALL.

224. De praetoricia folium mihi, Paule, corona,
mittis, et hoc phialae nomen habere iubes.
hac fuerat nuper nebula tibi pegma perunctum,
pallida quam rubri diluit unda croci.
an magis astuti derasa est ungue ministri
bractea, de fulcro quam reor esse tuo?
illa potest culicem longe sentire volantem
et minimi penna papilionis agi.
exiguae volitat suspensa vapore lucernae
et leviter fuso rumpitur icta mero.
hoc linitur sputo Iani caryota Kalendis,
quam fert cum parco sordidus asse cliens.
lenta minus gracili crescunt colocasia filo,
plena magis nimio lilia sole cadunt:
nec vaga tam tenui discurrit aranea tela,
tam leve nec bombyx pendulus urget opus.
crassior in facie vetulae stat creta Fabullae,

crassior offensae bulla tumescit aquae;
fortior et tortos servat vesica capillos
et mutat Latias spuma Batava comas.
hac cute Ledaeo vestitur pullus in ovo,
talia lunata splenia fronte sedent.
quid tibi cum phiala, ligulam cum mittere possis,
mittere cum possis vel cochleare mihi?
magna nimis loquimur, cochleam cum mittere possis;
denique cum possis mittere, Paule, nihil.

MARTIAL, viii. 33.

DISSOLVE FRIGUS LIGNA SUPER FOCO LARGE REPONENS.

225. Horrida tempestas caelum contraxit, et imbres
nivesque deducunt Iovem; nunc mare, nunc siluae
Threïcio Aquilone sonant: rapiamus, amici,
occasionem de die, dumque virent genua
et decet, obducta solvatur fronte senectus.
tu vina Torquato move consule pressa meo.
cetera mitte loqui: deus haec fortasse benigna
reducet in sedem vice. nunc et Achaemenio
perfundi nardo iuvat et fide Cyllenea
levare diris pectora sollicitudinibus;
nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno;
'Invicte, mortalis dea nate puer Thetide,
te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi
findunt Scamandri flumina lubricus et Simoïs,
unde tibi reditum certo subtemine Parcae
rupere, nec mater domum caerula te revehet.

illic omne malum vino cantuque levato,
deformis aegrimoniae dulcibus alloquiis.'

Horat. *Epod.* 13.

HAEC TIBI DAT PASTOR MUNERA, PARVE CULEX.

226. Rivom propter aquae viridi sub fronde latentem
conformare locum capit impiger: hunc et in orbem
destinat, ac ferri capulum repetivit in usum,
gramineum viridi fodiens de caespite terram.
Iam memor inceptum peragens sibi cura laborem
congestum cumulavit opus, atque aggere multo
telluris tumulus formatum crevit in orbem;
quem circum lapidem levi de marmore formans
conserit, assiduae cura memor. Hic et acanthus
et rosa purpureo crescit pudibunda rubore,
et violae omne genus: hic est et Spartica myrtus
atque hyacinthus, et hic Cilici crocus editus arvo,
laurus item Phoebi surgens decus; hic rhododaphne,
liliaque et roris non avia cura marini,
herbaque turis opes priscis imitata Sabina,
bumastusque virens et semper vivida tinus;
non illinc Narcissus abest, cui gloria formae
igne cupidineo proprios exarsit in artus.

[Verg.] *Culex*, 389.

LIBERTATE OPUS EST.

DAVUS, HORATIUS.

227. *D.* Tune mihi dominus, rerum imperiis hominumque
tot tantisque minor, quem ter vindicta quaterque
imposita haud unquam misera formidine privet?
adde super, dictis quod non levius valeat: nam,
sive vicarius est qui servo paret, uti mos
vester ait, seu conservus, tibi quid sum ego? nempe
tu, mihi qui imperitas, aliis servis miser atque
duceris ut nervis alienis mobile lignum.
quisnam igitur liber? sapiens, sibi qui imperiosus,
quem neque pauperies neque mors neque vincula terrent,
responsare cupidinibus, contemnere honores
fortis, et in se ipso totus teres atque rotundus
externi ne quid valeat per leve morari,
in quem manca ruit semper fortuna. Potesne
ex his ut proprium quid noscere? quinque talenta
poscit te mulier, vexat foribusque repulsum
perfundit gelida, rursus vocat. Eripe turpi
colla iugo, 'liber, liber sum' dic age. Non quis:

urget enim dominus mentem non lenis et acres
subiectat lasso stimulos versatque negantem.
vel cum Pausiaca torpes, insane, tabella,
qui peccas minus atque ego, cum Fulvi Rutubaeque
aut Placideiani contento poplite miror
proelia rubrica picta aut carbone, velut si
re vera pugnent, feriant, vitantque moventes
arma viri? nequam et cessator Davus: at ipse
subtilis veterum iudex et callidus audis.
nil servile gulae parens habet? adde quod idem
non horam tecum esse potes, non otia recte
ponere, teque ipsum vitas fugitivus et erro.
H. Unde mihi lapidem? *D.* quorsum est opus? *H.* Unde sagittas?
D. Aut insanit homo aut versus facit. *H.* ocius hinc te
ni rapis, accedes opera agro nona Sabino.

Hor. *S.* ii. 7. 75.

ANIMAE MAGNAE PRODIGUS PAULUS.—CANNAE, B.C. 216.

228. Parte alia pugnae Paulus, quanquam primo statim praelio funda graviter ictus fuerat, tamen et concurrit saepe cum confertis Hannibali et aliquot locis praelium restituit, protegentibus eum equitibus Romanis, omissis postremo equis, quia consulem et ad regendum equum vires deficiebant. tum denunti-

anti cuidam, iussisse consulem ad pedes descendere equites, dixisse Hannibalem ferunt, 'quam mallem vinctos mihi traderet.' equitum pedestre praelium, quale iam haut dubia hostium victoria, fuit, cum victi mori in vestigio mallent quam fugere, victores morantibus victoriam irati trucidarent quos pellere non poterant. pepulerunt tamen iam paucos superantes et labore ac volneribus fessos. inde dissipati omnes sunt, equosque ad fugam qui poterant repetebant. Gn. Lentulus, trib. militum, cum praetervehens equo sedentem in saxo cruore oppletum consulem vidisset 'L. Aemili,' inquit, 'quem unum insontem culpae cladis hodiernae dii respicere debent, cape hunc ecum, dum et tibi virium aliquid superest; comes ego te tollere possum ac protegere: ne funestam hanc pugnam morte consulis feceris: etiam sine hoc lacrimarum satis luctusque est.' Ad ea consul 'Tu quidem, Gn. Corneli, macte virtute esto, sed cave frustra morando exiguum tempus e manibus hostium evadendi absumas: abi, nuntia publice patribus urbem Romanam muniant ac priusquam hostis victor advenit praesidiis firment: privatim Q. Fabio Aemilium praeceptorum eius memorem et vixisse adhuc et mori: memet in hac strage militum meorum patere exspirare, ne aut reus iterum e consulatu sim, aut accusator collegae exsistam, ut alieno crimine innocentiam meam protegam.' haec exigentes prius turba fugientiūm civium deinde hostes oppressere: consulem, ignorantes quis esset, obruerunt telis.

LIV. xxii. 49.

*FRATREM NE DESERE *FRATER.

*CTESIPHO, SYRUS, SANNIO, *AESCHINUS.

229. *Ct.* Abs quivis homine, quomst opus, beneficium accipere gaudeas:
verum enim vero id demum iuvat, si quem aequomst facere is bene facit.
o frater, frater, quid ego nunc te laudem? satis certo scio:
nunquam ita magnifice quicquam dicam, id virtus quin superet tua.
itaque unam hanc rem me habere praeter alios praecipuam arbitror,
fratrem homini nemini esse primarum artium magis principem.
Sy. O Ctesipho. *Ct.* O Syre, Aeschinus ubist? *Sy.* Ellum, te expectat domi. *Ct.* hem.
Sy. quid est? *Ct.* quid sit? illius opera, Syre. nunc vivo: festivom caput,
qui ignominias sibi post putavit esse prae meo commodo,
maledicta, famam, meum amorem et peccatum in sese transtulit:
nil potis supra. quid nam foris crepuit? *Sy.* mane, mane; ipse exit foras.
Ae. Ubist ille sacrilegus? *Sa.* me quaerit. numquid nam ecfert? occidi:
nil video. *Ae.* ehem opportune: te ipsum quaero: quid fit, Ctesipho?
in tutost omnis res: omitte vero tristitiam tuam.

Ct. ego illam hercle vero omitto, qui quidem te habeam fratrem: o mi Aeschine,
o mi germane: a, vereor coram in os te laudare amplius,
ne id adsentandi magis quam quo habeam gratum facere existumes.
Ae. age inepte, quasi nunc non norimus nos inter nos, Ctesipho.
hoc mihi dolet, nos sero rescisse et paene in eum rem locum
redisse, ut si omnes cuperent nil tibi possent auxiliarier.—TERENT. *Adelph.* 254-273.

KINDNESS OF SCIPIO AFRICANUS MAIOR.

230. Captiva deinde a militibus adducitur ad eum adulta virgo adeo eximia forma ut, quacumque incedebat, converteret omnium oculos. Scipio, percontatus patriam parentesque, inter cetera accepit desponsam eam principi Celtiberorum adolescenti: Alucceio nomen erat. Extemplo igitur parentibus sponsoque ab domo accitis quom interim audiret deperire eum sponsae amore, ubi primum venit, accuratiore eum sermone quam parentes adloquitur: 'Iuvenis' inquit 'iuvenem appello, quo minor sit inter nos huius sermonis verecundia: ego, quom sponsa tua capta a militibus nostris ad me ducta esset, audiremque tibi eam cordi esse, et forma faceret fidem, quia ipse, si frui liceret ludo aetatis praesertim in recto et laeto et legitimo amore, et non res publica animum nostrum occupasset, veniam mihi dari sponsam impensius amanti vellem, tuo, cuius possum, amori

faveo: fuit sponsa tua apud me eadem qua apud soceros tuos parentesque suos verecundia: servata tibi est, ut inviolatum et dignum me teque dari tibi donum posset: hanc mercedem unam pro eo munere paciscor, amicus populo Romano sis, et, si me virum bonum credis esse, quales patrem patrumque meum iam ante hae gentes norant, scias multos nostri similes in civitate Romana esse, nec ullum in terris hodie populum dici posse, quem minus tibi hostem tuisque esse velis aut amicum malis.' Adolescens simul pudore et gaudio perfusus dextram Scipionis tenens deos omnes invocare ad gratiam illi pro se referendam, quoniam sibi nequaquam satis facultatis pro suo animo atque illius erga se esset. Parentes inde cognatique virginis appellati, qui, quoniam gratis sibi redderetur virgo ad quam redimendam satis magnum adtulissent auri pondus, orare Scipionem ut id ab se donum acciperet coeperunt, haud minorem eius rei apud se gratiam futuram esse adfirmantes quam redditae inviolatae foret virginis. Scipio, quando tanto opere peterent, accepturum se pollicitus poni ante pedes iussit, vocatoque ad se Allucceio 'Super dotem' inquit, 'quam accepturus a socero es, haec tibi a me dotalia dona accedent,' aurumque tollere ac sibi habere iussit.—Livy, xxvi. 50.

WONDERS OF NATURE.

231. Nonne vides, quaecunque mora fluidove calore
corpora tabuerint, in parva animalia verti?
i quoque, delectos mactatos obrue tauros;
cognita res usu, de putri viscere passim

florilegae nascuntur apes, quae more parentum
rura colunt, operique favent, in spemque laborant.
pressus humo bellator equus crabronis origo est.
quaeque solent canis frondes intexere filis
agrestes tineae, res observata colonis,
ferali mutant cum papilione figuram.
semina limus habet virides generantia ranas,
et generat truncas pedibus, mox apta natando
crura dat: utque eadem sint longis saltibus apta,
posterior partes superat mensura priores.

Ov. *Met.* xv. 362.

BEWILDERED CONDITION OF SOSIA, THE SLAVE OF AMPHITRYON.

SOSIA, MERCURIUS.

232. *S.* cingitur; certe expedit se. *M.* non feret quin vapulet.
S. quis homo? *M.* quisquis homo huc profecto venerit, pugnos edet.
S. apage, non placet me hoc noctis esse: cenaui modo:
proin tu istam cenam largire, si sapis, essurientibus.
M. hau malum huic est pondus pugno. *S.* perii, pugnos ponderat.
M. quid, si ego illum tractim tangam, ut dormiat? *S.* servaveris:
nam continuas has tris noctis pervigilavi. *M.* pessumumst
facinus nequiter ferire: malaca male discit manus.
alia forma oportet esse quem tu pugnis iceris.

S. illic homo me interpolabit meumque os finget denuo.
M. exossatum os esse oportet, quem probe percusseris.
S. mirum ni hic me quasi muraenam exossare cogitat.
ultro istunc qui exossat homines. perii, si me aspexerit.
M. olet homo quidam malo suo. *S.* hei mihi, numnam ego obolui?
M. atque hau longe abesse oportet, verum longe hinc afuit.
S. illic homo superstitiosust. *M.* gestiunt pugni mihi.
S. si in me exercituru's, quaeso in parietem ut primum domes.
M. vox mi ad auris advolavit. *S.* ne ego homo infelix fui,
qui non alas intervelli: volucrem vocem gestito.
M. illic homo a me sibi malam rem arcessit iumento suo.
S. non equidem ullum habeo iumentum. *M.* onerandust pugnis probe.
S. lassus sum hercle e navi, ut vectus huc sum: etiam nunc nauseo.
vix incedo inanis, ne ire posse cum onere existumes.
M. certe enim hic nescio quis loquitur. *S.* salvos sum, non me videt:
'nescio quem,' loqui autumat: mihi certo nomen Sosiast.

Plaut. *Amph.* 308–332.

ADDITIONAL INCIDENTS IN THE BLOCKADE OF CASTRA VETERA BY CIVILIS, A.D. 70.

233. Civilis, medium agmen cum robore Batavorum obtinens, utramque Rheni ripam, quo truculentior visu foret, Germanorum catervis complet, adsultante per campos equite: simul naves in adversum amnem agebantur. Hinc veteranarum cohortium signa, inde depromtae silvis lucisve ferarum imagines, ut cuique genti inire proelium mos est, mixta belli civilis externique facie obstupefecerant obsessos. et spem oppugnantium augebat amplitudo valli, quod, duabus legionibus situm, vix quinque millia armatorum Romanorum tuebantur: sed lixarum multitudo, turbata pace illuc congregata, et bello ministra aderat. Pars castrorum in collem leniter exsurgens: pars aequo adibatur: quippe illis hibernis obsideri premique Germanias Augustus crediderat, neque unquam id malorum ut oppugnatum ultro legiones nostras venirent. Inde non loco neque munimentis labor additus; vis et arma satis placebant. Batavi Transrhenanique, quo discreta virtus manifestius spectaretur, sibi quaeque gens consistunt, eminus lacessentes. Post, ubi pleraque telorum turribus pinnisque moenium inrita haerebant, et desuper saxis volnerabantur, clamore atque inpetu invasere vallum, adpositis plerique scalis, alii per testudinem suorum, scandebantque iam quidam, cum, gladiis et armorum incussu praecipitati, sudibus et pilis obruuntur, praeferoces ingenio et rebus secundis nimii ; sed tum praedae cupidine adversa quoque tolerabant. Machinas etiam, insolitum sibi, ausi : nec ulla ipsis sollertia,

perfugae captivique docebant struere materias in modum pontis, mox subiectis rotis propellere, ut alii superstantes tanquam ex aggere proeliarentur, pars intus occulti muros subruerent: sed excussa balistis saxa stravere informe opus, et crates vineasque parantibus adactae tormentis ardentes hastae, ultroque ipsi oppugnatores ignibus petebantur, donec, desperata vi, verterent consilium ad moras, haud ignari paucorum dierum inesse alimenta et multum inbellis turbae. Simul ex inopia proditio et fluxa servitiorum fides ac fortuita belli sperabantur.

Tac. *Hist.* iv. 22, 23.

THE WALNUT-TREE'S COMPLAINT.

234. Forsitan hic aliquis dicat 'Quae publica tangunt
carpere concessum est: hoc via iuris habet.'
Si licet hoc, oleas destringite, caedite messes,
improbe vicinum carpe, viator, olus:
intret et urbanas eadem petulantia portas,
sitque tuis muris, Romule, iuris idem:
quilibet argentum prima de fronte tabernae
tollat, et ad gemmas quilibet alter eat:
auferat hic aurum, peregrinos ille lapillos,
et quascunque potest tangere tollat opes.
sed neque tolluntur: nec, dum regit omnia Caesar,
incolumis, tanto praeside, raptor erit.
at non ille deus pacem intra moenia finit,
auxilium toto spargit in orbe suum.
quid tamen hoc prodest media si luce palamque
verberor, et tutae non licet esse mihi?

ergo nec nidos foliis haerere, nec ullam
sedibus in nostris stare videtis avem.
at lapis, in ramo sedit quicunque bifurco,
haeret, et ut capta victor in arce manet.
cetera saepe tamen potuere admissa negari,
et crimen nox est infitiata suum;
nostra notat fusco digitos iniuria suco,
cortice contactas inficiente manus;
ille cruor meus est: illo maculata cruore
non profectura dextra lavatur aqua.

Ovid, *Nux*, 133.

C. PLINIUS TO MINUCIUS.

235. Libellum formatum a me, sicut exegeras, quo amicus tuus, immo noster (quid enim non commune nobis?) si res posceret, uteretur, misi tibi ideo tardius, ne tempus emendandi eum, id est disperdendi, haberes: habebis tamen: an emendandi, nescio, utique disperdendi (ὑμεῖς γὰρ κακόζηλοι) optima quaeque si detraxeris. Quod si feceris, boni consulam. Postea enim illis ex aliqua occasione ut meis utar et beneficio fastidii tui ipse laudabor, ut in eo quod adnotatum invenies et supra scripto aliter explicitum. Nam cum suspicarer futurum, ut tibi tumidius videretur, quod est sonantius et elatius, non alienum existimavi, ne te torqueres, addere statim pressius quiddam et exilius, vel potius humilius et peius, vestro tamen iudicio rectius. Cur enim non usquequaque tenuitatem vestram insequar et exagitem? Haec, ut inter istas occupationes aliquid aliquando rideres, illud serio. Vide, ut mihi viaticum reddas, quod

impendi data opera, cursore dimisso. Ne tu, cum hoc legeris, non partes libelli, sed totum libellum improbabis, negabisque ullius pretii esse, cuius pretium reposceris. Vale.—PLIN. *Ep.* vii. 12.

SPEECH OF G. CANULEIUS.

236. Denique, utrum tandem populi Romani, an vestrum summum imperium est? Regibus exactis, utrum vobis dominatio, an omnibus aequa libertas parta est? Oportet licere populo Romano, si velit, iubere legem. an, ut quaeque rogatio promulgata erit, vos delectum pro poena decernetis? et, simul ego tribunus vocare tribus in suffragium coepero, tu statim consul sacramento iuniores adiges, et in castra educes? et minaberis plebi, minaberis tribuno? Quid, si non, quantum istae minae adversus plebis consensum valerent, bis iam experti essetis? scilicet, quia nobis consultum volebatis, certamine abstinuistis, an ideo non est dimicatum, quod, quae pars firmior, eadem modestior fuit? Nec nunc erit certamen, Quirites. animos vestros illi tentabunt semper, vires non experientur. Itaque ad bella ista, seu falsa, seu vera sunt, consules, parata vobis plebes est, si, conubiis redditis, unam hanc civitatem tandem facitis; si coalescere, si iungi miscerique vobis privatis necessitudinibus possunt; si spes, si aditus ad honores viris strenuis et fortibus datur; si in consortio, si in societate reipublicae esse, si, quod aequae libertatis est, in vicem annuis magistratibus parere atque imperitare licet. Si haec impediet aliquis, ferte sermonibus, et multiplicate fama bella; nemo est nomen

daturus, nemo arma capturus, nemo dimicaturus pro superbis dominis, cum quibus nec in re publica honorum, nec in privata conubii societas est.

Liv. iv. 5.

DETECTION OF THE CONSPIRACY OF CATILINA.

237. Ac ne longum sit, Quirites, tabellas proferri iussimus, quae a quoque dicebantur datae; primum ostendimus Cethego signum; cognovit: nos linum incidimus; legimus: erat scriptum ipsius manu Allobrogum senatui et populo, sese quae eorum legatis confirmasset facturum esse; orare ut item illi facerent quae sibi eorum legati recepissent. Tum Cethegus, qui paulo ante aliquid tamen de gladiis ac sicis, quae apud ipsum erant deprehensa, respondisset, dixissetque se semper bonorum ferramentorum studiosum fuisse, recitatis litteris debilitatus atque abiectus conscientia repente conticuit. Introductus est Statilius; cognovit et signum et manum suam: recitatae sunt tabellae in eandem fere sententiam; confessus est. Tum ostendi tabellas Lentulo et quaesivi cognosceretne signum. Adnuit. 'Est vero' inquam 'notum quidem signum, imago avi tui, clarissimi viri, qui amavit unice patriam et civis suos; quae quidem te a tanto scelere etiam muta revocare debuit.'—Cicero, 2. *Catil.* v. 10.

ON THE VICTORIES OF DRUSUS IN GERMANY, B.C. 11.

238. Is, qui Sidonio fulget sublimis in ostro,
dux fuerat belli; proximus ille duci.

hic, qui nunc in humo lumen miserabile figit,
non isto vultu, cum tulit arma, fuit.
ille ferox, oculis et adhuc hostilibus ardens,
hortator pugnae consiliumque fuit.
perfidus hic nostros inclusit fraude locorum,
squalida promissis qui tegit ora comis.
illo, qui sequitur, dicunt mactata ministro
saepe recusanti corpora capta deo.
hic lacus, hic montes, haec tot castella, tot amnes,
plena ferae caedis, plena cruoris erant.
Drusus in his quondam meruit cognomina terris,
quae bona progenies digna parente fuit.
cornibus hic fractis viridi male tectus ab ulva,
decolor ipse suo sanguine, Rhenus erit.
crinibus en etiam fertur Germania passis,
et Ducis invicti sub pede maesta sedet;
collaque Romanae praebens animosa securi
vincula fert illa, qua tulit arma, manu.

Ov. *Trist.* iv. 2. 27.

BARGAINING FOR TREASURE-TROVE.

GRIPUS, LABRAX.

239. *G.* Ecquid meministi in vidulo qui periit quid ibi infuerit?

L. quid refert, qui periit tamen, si nunc hoc fabulemur?

G. quid, si ego sciam qui invenerit? volo ex te scire signa.

L. octingenti in marsupio numi aurei infuerunt, praeterea centum Philippeae minae in pasceolo sorsus.

G. magna hercle praedast: largiter mercedis indipiscar:
[di homines respiciunt: bene ergo hinc praedatus ibo.]
profectost huius vidulus. perge alia tu expedire.
L. talentum argenti commodum magnum inerat in crumina,
praeterea sinus, cantharus, epichysis, gaulus, cyathus.
G. papae: divitias tu quidem habuisti luculentas.
L. miserum istuc verbum et pessumumst 'habuisse et nihil habere.'
G. quid dare velis qui istaec tibi investiget indicetque?
eloquere propere celeriter. *L.* numos trecentos. *G.* tricas.
L. quadrigentos. *G.* tramas putidas. *L.* Quingentos. *G.* cassam glandem.
L. sescentos. *G.* curculiunculos minutos fabulare.
L. dabo septingentos. *G.* os calet tibi: nunc id frigefactas.
L. Mille dabo numum. *G.* somnias. *L.* nihil addo: abi. *G.* igitur audi:
si hercle abiero hinc, hic non ero. *L.* vin cĕntum et mille? *G.* dormis.
L. eloquere quantum postules. *G.* quo nihil invitus addas,
talentum magnum: non potest triobulum hinc abesse:

proin tu vel aias vel neges. *L.* quid istic?
necessumst, video:
dabitur talentum. *G.* accededum huc:
Venus haec volo adroget te.
L. quod tibi lubet, id mi impera.

Plaut. *Rud.* v. 2. 23–46 (1310).

SPEECH OF PROMETHEUS.

240. Titanum soboles, socia nostri sanguinis,
generata caelo, adspicite religatum asperis
vinctumque saxis, navem ut horrisono freto
noctem paventes timidi adnectunt navitae.
Saturnius me sic infixit Iuppiter,
Iovisque numen Mulcebri adscivit manus.
Has ille cuneos fabrica crudeli inserens
perrupit artus: qua miser solertia
transverberatus castrum hoc furiarum incolo.
iam tertio me quoque funesto die
tristi advolatu aduncis lacerans unguibus
Iovis satelles pastu dilaniat fero.
tum iecore opimo farta et satiata affatim
clangorem fundit vastum et sublime avolans
pinnata cauda nostrum adulat sanguinem.
quom vero adesum inflatu renovatumst iecur,
tum rursum taetros avida sese ad pastus refert.
sic hunc custodem maesti cruciatus alo,
qui me perenni vivom foedat miseria.
namque, ut videtis, vinclis constrictus Iovis
arcere nequeo diram volucrem a pectore.
sic me ipse viduus pestes excipio anxias,
amore mortis terminum anquirens mali,
sed longe a leto numine aspellor Iovis.

Cicero, *Tusc.* ii. 10. 23.

DISTURBANCES IN ROME IN CONNEXION WITH M. MANLIUS.

241. Ad ea Manlius nec se fefellisse ait non adversus Volscos, totiens hostes quotiens patribus expediat, nec adversus Latinos Hernicosque quos falsis criminibus in arma agant, sed adversus se ac plebem Romanam dictatorem creatum esse: iam omisso bello quod simulatum sit, in se impetum fieri: iam dictatorem profiteri patrocinium feneratorum adversus plebem: iam sibi ex favore multitudinis crimen ac perniciem quaeri. 'Offendit' inquit, 'te A. Corneli, vosque, patres conscripti,' circumfusa turba lateri meo? quin eam diducitis a me singuli vestris beneficiis, intercedendo, eximendo de nervo cives vestros, prohibendo iudicatos addictosque duci, ex eo quod affluit opibus vestris sustinendo necessitates aliorum. Sed quid ego vos de vestro impendatis hortor? sortem[1] aliquam ferte: de capite deducite quod usuris pernumeratum est: iam nihilo mea turba quam ullius conspectior erit. At enim quid ita solus ego civium curam ago? nihilo magis quod respondeam habeo quam si quaeras quid ita solus Capitolium arcemque servaverim: et tum universis quam potui opem tuli, et nunc singulis feram. Nam quod ad thesauros Gallicos attinet, rem suapte natura facilem difficilem interrogatio facit. Cur enim quaeritis quod scitis? Cur quod in sinu vestro est excuti iubetis potius quam ponatis, nisi aliqua fraus subest? quo magis argui praestigias

[1] Cf. capp. 14, 36. Plaut. *Most.* iii. 1. 28: 'Qui mihi neque fenus neque sortem argenti danunt.'

iubetis vestras, eo plus vereor ne abstuleritis observantibus etiam oculos. Itaque non ego vobis ut indicem praedas vestras, sed vos id cogendi estis ut in medium proferatis.' Cum mittere ambages dictator iuberet, et aut peragere verum indicium cogeret aut fateri facinus insimulati falso crimine senatus oblataeque vani furti invidiae, negantem arbitrio inimicorum se locuturum in vincula duci iussit.

LIV. vi. 15.

CICERO TO ATTICUS, APRIL 12, B.C. 44.

242. Pridie Idus Fundis accepi tuas litteras cenans. Primum igitur melius esse, deinde meliora te nuntiare ; odiosa illa enim fuerant legiones venire : nam de Octavio susque deque. Expecto quid de Mario, quem quidem ego sublatum rebar a Caesare. Antoni colloquium cum heroibus [1] nostris pro re nata non incommodum, sed tamen adhuc me nihil delectat praeter Id. Mart. Nam, quoniam Fundis sum cum Ligure nostro, discrucior Sextili fundum a verberone Curtilio possideri : quod cum dico, de toto genere dico. Quid enim miserius quam ea nos tueri propter quae illum oderamus ? Etiamne consules et tribunos plebis in biennium quos ille voluit ? Nullo modo reperio quemadmodum possim *πολιτεύεσθαι* ; nihil enim tam *σόλοικον* quam *τυραννοκτόνους* in caelo esse, tyranni facta defendi. Sed vides Consules, vides reliquos magistratus, si isti magistratus : vides languorem bonorum. Exsultant laetitia in municipiis. Dici enim non potest quanto opere gaudeant,

[1] M. Brutus and G. Cassius.

ut ad me concurrant, ut audire cupiant verba mea ea de re: nec ulla interea decreta. Sic enim πεπολιτεύμεθα ut victos metueremus. Haec ad te scripsi, apposita secunda mensa: plura et πολιτικώτερα postea: et tu, quid agas, quidque agatur.

CICERO, *ad Att.* xiv. 6.

THE SURRENDER AT THE FURCULAE CAUDINAE, B.C. 321.

243. Redintegravit luctum in castris consulum adventus, ut vix ab iis abstinerent manus quorum temeritate in eum locum deducti essent, quorum ignavia foedius inde quam venissent abituri. *Illis non ducem locorum, non exploratorem fuisse: beluarum modo caecos in foveam missos.* Alii alios intueri, contemplari arma mox tradenda et inermes futuras dextras obnoxiaque corpora hosti: proponere sibimet ipsi ante oculos iugum hostile et ludibria victoris et voltus superbos et per armatos inermium iter: inde foedi agminis miserabilem viam, per sociorum urbes reditum in patriam ad parentes, quo saepe ipsi maioresque eorum triumphantes venissent. *Se solos sine vulnere, sine ferro, sine acie victos: sibi non stringere licuisse gladios, non manum cum hoste conferre: sibi nequicquam arma, nequicquam vires, nequicquam animos datos.* Haec frementibus hora fatalis ignominiae advenit, omnia tristiora experiundo factura quam quae praeceperant animis. Iam primum cum singulis vestimentis inermes extra vallum exire iussi, et primi traditi obsides atque in custodiam abducti. Tum a consulibus abire lictores iussi, palu-

damentaque detracta: tantam inter ipsos qui, paulo ante, eos exsecrantes dedendos lacerandosque censuerant, miserationem fecit, ut suae quisque condicionis oblitus ab illa deformatione tantae maiestatis velut ab nefando spectaculo averteret oculos. Primi consules paene seminudi sub iugum missi, tum, ut quisque gradu proximus erat, ita ignominiae obiectus: tum deinceps singulae legiones. Circumstabant armati hostes, exprobrantes eludentesque; gladiis etiam plerisque intentati, et volnerati quidem necatique si vultus eorum indignitate rerum acrior victorem offendisset.—Liv. ix. 5.

IUPPITER AND MERCURIUS ENTERTAINED BY PHILEMON AND BAUCIS.

244. Ergo ubi Caelicolae parvos tetigere penates,
submissoque humiles intrarunt vertice postes,
membra senex posito iussit relevare sedili,
quo superiniecit textum rude sedula Baucis.
inde foco tepidum cinerem dimovit, et ignes
suscitat hesternos, foliisque et cortice sicco
nutrit, et ad flammas anima producit anili;
multifidasque faces, ramaliaque arida tecto
detulit, et minuit, parvoque admovit aheno;
quodque suus coniunx riguo collegerat horto,
truncat olus foliis. Furca levat ille bicorni
sordida terga suis, nigro pendentia tigno:
servatoque diu resecat de tergore partem
exiguam, sectamque domat ferventibus undis.
interea medias fallunt sermonibus horas,
sentirique moram prohibent. Erat alveus illic
fagineus, curva clavo suspensus ab ansa:

is tepidis impletur aquis, artusque fovendos
accipit. In medio torus est de mollibus ulvis
impositus lecto, sponda pedibusque salignis:
vestibus hunc velant, quas non nisi tempore festo
sternere consuerant; sed et haec vilisque vetusque
vestis erat, lecto non indignanda saligno.
accubuere dei. Mensam succincta tremensque
ponit anus; mensae sed erat pes tertius impar:
testa parem fecit. Quae postquam subdita clivum
sustulit, aequatam mentae tersere virentes.
ponitur hic bicolor sincerae baca Minervae,
conditaque in liquida corna auctumnalia faece.

Ov. *Met.* viii. 637.

IRA FUROR BREVIS EST

245. Inter haec instrumenta collocetur ira, dirum quiddam atque horridum stridens, omnibus per quae furit tetrior. Ut de ceteris dubium sit, nulli certe adiectui peior est vultus: quem in prioribus libris descripsimus asperum et acrem, et, nunc subito retrorsum sanguine fugato, pallentem, nunc in os omni calore ac spiritu verso, subrubicundum, et similem cruento, venis tumentibus, oculis nunc trepidis et exilientibus, nunc in uno obtutu defixis et hærentibus. Adice dentium inter se arietatorum, et aliquem esse cupientium, non alium sonum, quam est apris, tela sua adtritu acuentibus. Adice articulorum crepitum, quum se ipsae manus frangunt, et pulsatum saepius pectus, anhelitus crebros, tractosque altius gemitus, instabile corpus, incerta verba subitis exclamationibus, trementia labra, interdumque conpressa, et dirum quiddam exsibilantia. Ferarum, mehercules, sive

illas fames exagitat, sive infixum visceribus ferrum, minus taetra facies est, etiam quom venatorem suum semianimes morsu ultimo petunt, quam hominis ira flagrantis.—SEN. *De Ira*, iii. 4.

THE STUDY OF NATURE THE DUTY OF MANKIND.

246. Nunc quoniam in promptu est operis natura solique,
unde ipsi venti, quae res incendia pascit;
cum subito cohibentur, iners quae causa silenti,
subsequar: inmensus labor est sed fertilis idem:
digna laborantis respondent praemia curis.
non oculis solum pecudum miranda tueri
more nec effusis in humum grave pascere corpus,
nosse fidem rerum dubiasque exquirere causas,
ingenium sacrare caputque attollere caelo,
scire quot et quae sint magno natalia mundo
principia: occasus metuunt an saecula pergunt
et firma aeterno religata est machina mundo?
solis scire modum, et, quanto minor orbita lunaest,
haec brevior cursu bis senos pervolet orbes,
annuus ille meet; quae certo sidera currant
ordine, quaeve suos errent incondita cursus;
scire vices etiam signorum et tradita iura,
sex cum nocte rapi, totidem cum luce referri;
nubila cur caelo, terris denuntiet imbres,
quo rubeat Phoebe quo frater palleat igni;
tempora cur varient anni: ver, prima iuventa,
cur aestate perit, cur aestas ipsa senescit,

autumnoque obrepit hiemps et in orbe recurrit?
axem scire Helices et tristem nosse cometen,
Lucifer unde micet quave Hesperus, unde Bootes.

[Lucilius Iunior], *Aetna*, 219.

ARRANGEMENTS FOR THE DEATH OF MESSALINA, A.D. 48.

247. Messalina tamen, quamquam res adversae consilium eximerent, ire obviam et aspici a marito, quod saepe subsidium habuerat, haud segniter intendit misitque ut Britannicus et Octavia in complexum patris pergerent. Et Vibidiam, virginum Vestalium vetustissimam, oravit pontificis maximi aures adire, clementiam expetere. Atque interim, tribus omnino comitantibus—id repente solitudinis erat—spatium urbis pedibus emensa, vehiculo, quo purgamenta hortorum excipiuntur, Ostiensem viam intrat, nulla cuiusquam misericordia, quia flagitiorum deformitas praevalebat. Trepidabatur nihilo minus a Caesare: quippe Getae praetorii praefecto haud satis fidebant, ad honesta seu prava iuxta levi. Ergo Narcissus, adsumptis quibus idem metus, non aliam spem incolumitatis Caesaris adfirmat, quam si ius militum uno illo die in aliquem libertorum transferret, seque offert suscepturum. Ac ne, dum in urbem revehitur, ad paenitentiam a L. Vitellio et Largo Caecina mutaretur, in eodem gestamine sedem poscit sumitque. Crebra post haec fama fuit, inter diversas principis voces, cum modo incusaret flagitia uxoris, aliquando ad memoriam coniugii et infantiam liberorum revolveretur, non

aliud prolocutum Vitellium quam 'o facinus! o scelus!' Instabat quidem Narcissus aperire ambages et veri copiam facere: sed non ideo pervicit, quin suspensa et quo ducerentur inclinatura responderet exemploque eius Largus Caecina uteretur. Et iam erat in aspectu Messalina clamitabatque audiret Octaviae et Britannici matrem, cum obstrepere accusator, Silium et nuptias referens; simul codicillos libidinum indices traditit, quis visus Caesaris averteret. Nec multo post urbem ingredienti offerebantur communes liberi, nisi Narcissus amoveri eos iussisset. Vibidiam depellere nequivit, quin multa cum invidia flagitaret, ne indefensa coniunx exitio daretur. Igitur auditurum principem et fore diluendi criminis facultatem: iret interim virgo et sacra capesseret.—TACITUS, *Ann.* xi. 32, 33, 34.

SIEGE OF AMBRACIA BY M. FULVIUS NOBILIOR, B.C. 189.

248. Cum aperta vi parum procederet consuli res, cuniculum occultum, vineis ante contecto loco, agere instituit: et aliquamdiu, cum dies noctesque in opere essent, non solum sub terra fodientes sed egerentes etiam humum fefellere hostem. Cumulus repente terrae eminens index operis oppidanis fuit; pavidique ne iam subrutis muris facta in urbem via esset, fossam intra murum e regione eius operis quod vineis contectum erat ducere institutum. Cuius ubi ad tantam altitudinem quantae esse solum infimi cuniculi poterat pervenerunt, silentio facto, pluribus locis aure admota, sonitum fodientium captabant.

Quem ubi acceperunt, aperiunt rectam in cuniculum viam: nec fuit magni operis: momento enim ad inane, suspenso furculis ab hostibus muro, pervenerunt. Ibi commissis operibus, cum e fossa in cuniculum pateret iter, primo ipsis ferramentis quibus in opere usi erant, dein celeriter armati etiam subeuntes occultam sub terra ediderunt pugnam. Segnior deinde ea facta est, intersaepientibus cuniculum, ubi vellent, nunc ciliciis praetentis nunc foribus raptim obiectis. Nova etiam haud magni operis adversus eos qui in cuniculo erant excogitata res est. Dolium a fundo pertusum, qua fistula modica inseri posset, et ferream fistulam operculumque dolii ferreum, et ipsum pluribus locis perforatum, fecerunt. Hoc tenui pluma completum dolium ore in cuniculum verso posuerunt. Per operculi foramina praelongae hastae ad submovendos hostes eminebant. Scintillam levem ignis inditam plumae folle fabrili ad caput fistulae imposito flando accenderunt. Inde non solum magna vis fumi, sed acrior etiam foedo quodam nidore ex adusta pluma, cum totum cuniculum complesset, vix durare quisquam intus poterat.

LIV. xxxviii. 7.

A SLAVE'S OPINION ON EATING.

STASIMUS, LESBONICUS, PHILTO.

249. *St.* Satin tu's sanus mentis aut animi tui,
qui condicionem hanc repudies? nam illum tibi
ferentarium esse amicum inuentum intellego.

Le. Abin hinc dierecte? *St.* Si hercle ire occupiam, uotes.
Le. Nisi me aliut quid uis, Philto, respondi tibi.
Ph. Benigniorem, Lesbonice, te mihi,
quam nunc experior esse, confido fore:
nam et stulte facere et stulte fabularier,
utrumque, Lesbonice, in aetate hau bonumst.
St. Verum hercle hic dicit. *Le.* Oculum ego ecfodiam tibi,
si uerbum addideris. *St.* Hercle qui dicam tamen:
nam si sic non licebit, luscus dixero.
Ph. Ita nunc tu dicis non esse aequiperabilis
vostras cum nostris factiones atque opes?
Le. Dico. *Ph.* Quid? nunc si in aedem ad cenam ueneris
atque ibi opulentus tibi par forte obuenerit:
adposita cena sit, popularem quam uocant:
si illi congestae sint epulae a clientibus,
siquid tibi placeat quod illi congestum siet,
edisne an incenatus cum opulento accubes?
Le. Edim, nisi si ille votet. *St.* At pol ego, etsi votet,
edim atque ambabus malis expletis uorem,
et quod illi placeat praeripiam potissimum:
neque illi concedam quicquam de uita mea.
verecundari neminem aput mensam decet:
nam ibi de divinis atque humanis cernitur.
Ph. Rem fabulare. *St.* Non dolo dicam tibi:
decedam ego illi de uia, de semita,

de honore populi: uerum quod ad uentrem
attinet,
non hercle hoc longe, nisi me pugnis uicerit.
cena hac annonast sine sacris hereditas.

Plaut. *Trinumm.* 454.

TUA, CAESAR, AETAS SIGNA NOSTRO RESTITUIT IOVI.

250. Ecce, parat Caesar domito quod defuit orbi
addere: nunc, oriens ultime, noster eris.
Parthe, dabis poenas: Crassi gaudete sepulti,
signaque barbaricas non bene passa manus.
ultor adest, primisque ducem profitetur in
armis,
bellaque non puero tractat agenda puer.
parcite natales timidi numerare deorum,
Caesaribus virtus contigit ante diem:
ingenium caeleste suis velocius annis
surgit, et ignavae fert male damna morae.
parvus erat, manibusque duos Tirynthius angues
pressit, et in cunis iam Iove dignus erat.
nunc quoque qui puer es, quantus tum, Bacche,
fuisti,
cum timuit thyrsos India victa tuos!
auspiciis animisque patris, puer, arma movebis
et vinces animis auspiciisque patris.
tale rudimentum tanto sub nomine debes,
nunc iuvenum princeps, deinde future senum.
cum tibi sint fratres, fratres ulciscere laesos;
cumque pater tibi sit, iura tuere patris.
induit arma tibi genitor patriaeque tuusque:

hostis ab invito regna parente rapit.
tu pia tela feres, sceleratas ille sagittas:
stabit pro signis iusque piumque tuis.
vincuntur causa Parthi: vincantur et armis:
Eoas Latio dux meus addat opes.
Marsque pater Caesarque pater, date numen
eunti;
nam deus e vobis alter es, alter eris.

Ov. *A. A.* i. 177.

A. CORN. COSSUS WINS THE SPOLIA OPIMA, B.C. 434.

251. Erat inter equites tribunus militum A. Corn. Cossus, eximia pulcritudine corporis, animo ac viribus par, memorque generis, quod amplissimum acceptum maius auctiusque reliquit posteris. Is cum ad impetum Tolumnii, quacunque se intendisset, trepidantes Romanas videret turmas, insignemque eum regio habitu volitantem tota acie cognosset, 'Hicine est' inquit ruptor foederis humani violatorque gentium iuris? iam ego hanc mactatam victimam, si modo sancti quicquam in terris esse di volunt, legatorum manibus dabo. Calcaribus subditis infesta cuspide in unum fertur hostem; quem cum ictum equo deiecisset, confestim et ipse hasta innisus se in pedes excepit. Assurgentem ibi regem umbone resupinat, repetitumque saepius cuspide ad terram affixit. Tum exsangui detracta spolia, caputque abscisum victor spiculo gerens terrore caesi regis hostes fundit. Omnibus inde locis re bene gesta, dictator senatus consulto iussuque populi triumphans

in urbem rediit. Longe maximum triumphi spectaculum fuit Cossus, spolia opimi regis interfecti gerens: in eum milites carmina incondita, aequantes eum Romulo, canere.—Liv. iv. 19.

ANECDOTE OF CAMILLUS.

252. Mos erat Faliscis eodem magistro liberorum et comite uti; simulque plures pueri, quod hodie quoque in Graecia manet, unius curae demandabantur: principum liberos, sicut fere fit, qui scientia videbatur praecellere erudiebat. Is cum in pace instituisset pueros ante urbem lusus exercendique causa producere, nihil eo more per belli tempus intermisso diu modo brevioribus modo longioribus spatiis trahendo eos a porta, lusu sermonibusque variatis longius solito, ubi res dedit, progressus inter stationes eos hostium castraque inde Romana in praetorium ad Camillum perduxit: ibi scelesto facinori scelestiorem sermonem addit, Falerios se in manus Romanis tradidisse, quando eos pueros, quorum parentes capita ibi rerum sint, in potestatem dediderit. Quae ubi Camillus audivit, 'non ad similem' inquit 'tui nec populum nec imperatorem scelestus ipse cum scelesto munere venisti. Nobis cum Faliscis, quae pacto fit humano, societas non est; quam ingeneravit natura, utriusque est eritque. Sunt et belli sicut pacis iura, iusteque ea non minus quam fortiter didicimus gerere. Arma habemus non adversus eam aetatem, cui etiam captis urbibus parcitur, sed adversus armatos et ipsos, qui nec laesi nec lacessiti a nobis castra Romana ad Veios oppug-

narunt. Eos tu, quantum in te fuit, novo scelere vicisti: ego Romanis artibus, virtute opere armis, sicut Veios vincam.' Denudatum deinde eum manibus post tergum inligatis reducendum Falerios pueris tradidit, virgasque eis, quibus proditorem agerent in urbem verberantes, dedit.—LIV. v. 27.

CURIOUS DISCOVERY IN ROME, B.C. 181.

253. Eodem anno in agro L. Petilli scribae sub Ianiculo, dum cultores agri altius moliuntur terram, duae lapideae arcae, octonos ferme pedes longae, quaternos latae, inventae sunt, operculis plumbo devinctis. Litteris Latinis Graecisque utraque arca inscripta erat, in altera Numam Pompilium, regem Romanorum, sepultum esse, in altera libros Numae inesse. Eas arcas cum ex amicorum sententia dominus aperuisset, quae titulum sepulti regis habuerat inanis inventa, sine ullo vestigio corporis humani aut ullius rei, per tabem tot annorum omnibus absumptis. In altera duo fasces candelis involuti septenos habuere libros, non integros modo sed recentissima specie. Septem Latini de iure pontificio erant, septem Graeci de disciplina sapientiae quae illius aetatis esse potuit. Primo ab amicis, qui in re praesenti fuerunt, libri lecti; mox pluribus legentibus cum vulgarentur, Q. Petillius praetor urbanus studiosus legendi eos libros a L. Petillio sumpsit. Et erat familiaris usus, quod scribam eum quaestor Q. Petillius in decuriam legerat. Lectis rerum summis cum animadvertisset pleraque dissolvendarum relligionum esse, L. Petillio dixit

sese eos libros in ignem coniecturum esse ; priusquam id faceret, se ei permittere uti, si quod seu ius seu auxilium se habere ad eos libros repetendos existimaret, experiretur: id integra sua gratia eum facturum. Ad senatum res est reiecta : libri, paulo postea, in comitio, igne a victimariis facto, in conspectu populi cremati sunt.—Liv. xl. 29.

UNSETTLED STATE OF THINGS IN ROME, B.C. 421.

254. Post ludos contiones seditiosae tribunorum plebi fuerunt, obiurgantium multitudinem, quod admiratione eorum, quos odisset, stupens in aeterno se ipsa teneret servitio, et non modo ad spem consulatus in partem revocandi aspirare non auderet, sed ne in tribunis quidem militum creandis, quae communia essent comitia patrum ac plebis, aut sui aut suorum meminisset. Desineret ergo mirari, cur nemo de commodis plebis ageret; eo impendi laborem ac periculum, unde emolumentum atque honos speretur; nihil non aggressuros homines, si magna conatis magna praemia proponantur; ut quidem aliquis tribunus plebis ruat caecus in certamina periculo ingenti, fructu nullo, ex quibus pro certo habeat, patres, adversus quos tetenderit, bello inexpiabili se persecuturos, apud plebem pro qua dimicaverit, nihilo se honoratiorem fore, neque sperandum neque postulandum esse. Magnos animos magnis honoribus fieri. Neminem se plebeium contempturum, ubi contemni desissent. Experiundam rem denique in uno aut altero esse, sitne aliqui plebeius ferendo

magno honori, an portento simile miraculoque sit, fortem ac strenuum virum aliquem exsistere ortum ex plebe. Summa vi expugnatum esse, ut tribuni militum consulari potestate et ex plebe crearentur. Petisse viros domi militiaeque spectatos; primis annis suggillatos, repulsos, risui patribus fuisse; desisse postremo praebere ad contumeliam os. Nec se videre, cur non lex quoque abrogetur, qua id liceat, quod nunquam futurum sit; minorem quippe ruborem fore in iuris iniquitate, quam si per indignitatem ipsorum praetereantur.—Liv. iv. 35.

A TOILET SCENE.

PHILEMATIUM, SCAPHA, PHILOLACHES.

255. *Ph.* Cedo mi speculum et cum ornamentis arculam actutum, Scapha,
ornata ut sim, quom huc adveniat Philolaches voluptas mea.
Sc. mulier quae se suamque aetatem spernit, speculo ei usus est;
quid opust speculo tibi, quom tute speculo's specimen maximum?
Phs. ob istuc verbum, ne nequiquam, Scapha, tam lepide dixeris,
dabo aliquid hodie peculi tibi, Philematium mea.
Ph. suon quicque locost? uide capillum, satin compositust commode?
Sc. ubi tu commoda's, capillum commodum esse credito.

Phs. vah, quid illa pote peius quiquam muliere memorarier?
nunc adsentatrix scelestast, dudum aduorsatrix erat.
Ph. cedo cerussam. *Sc.* quid cerussa nam opust? *Ph.* malas qui oblinam.
Sc. una opera ebur atramento candefacere postules.
Phs. lepide dictum de atramento atque ebure. euge, adplaudo, Scapha.
Ph. tum tu igitur cedo purpurissum. *Sc.* non do: scita's tu quidem:
noua pictura interpolare vis opus lepidissumum?
non istanc aetatem oportet pigmentum ullum attingere,
neque cerussam Melinumue neque aliam ullam offuciam.
cape igitur speculum. *Phs.* ei mihi misero: savium speculo dedit.
nimis velim lapidem, qui ego illi speculo dimminuam caput.

PLAUT. *Most.* i. 3. 91.

ON AGRICULTURAL MATTERS.

256. Certe, inquit Fundanius, aliud pastio et aliud agricultura, sed affinis: et ut dextera tibia alia quam sinistra, ita ut tamen sit quodam modo coniuncta, quod est altera eiusdem carminis modorum incentiva, altera succentiva. Et quidem licet adicias, inquam, pastorum vitam esse incentivam, agricolarum succen-

tivam, auctore doctissimo homine Dicaearcho, qui Graeciae vita qualis fuerit ab initio, nobis ostendit, ut superioribus temporibus fuisse doceat, cum homines pastoriciam vitam agerent, neque scirent etiam arare terram, aut serere arbores aut putare ; ab his inferiore gradu aetatis susceptam agriculturam : quocirca et succinit pastorali, quod est inferior, ut tibia sinistra dextrae foraminibus. Agrius, tu, inquit, tibicen non solum adimis domino pecus, sed etiam servis peculium, quibus domini dant, ut pascant, atque etiam leges colonicas tollis in quibus scribimus, colonus in agro surculario ne capra natum pascat : quas etiam astrologia in caelum recepit, non longe ab Tauro. Cui Fundanius, Vide, inquit, Agri, ne istuc sit ab hoc, cum in legibus etiam scribatur, pecus[1] quoddam . . . quaedam enim pecudes culturae sunt inimicae, ac veneno, ut istae, quas dixisti, caprae : eae enim omnia novella sata carpendo corrumpunt, non minimum vites atque oleas : itaque propterea institutum diversa de causa, ut ex caprino genere ad alii dei aram hostia adduceretur, ad alii non sacrificaretur, cum ab eodem odio alter videre nollet, alter etiam videre pereuntem vellet. Sic factum ut Libero patri repertori vitis hirci immolarentur, proinde ut capite darent poenas : contra, ut Minervae caprini generis nihil immolarent, propter oleam, quod eam quam laeserit fieri dicunt sterilem : eius enim salivam esse fructuis venenum. Hoc nomine etiam Athenis in arcem non inigi praeterquan semel ad necessarium sacrificium, ne arbor olea quae primum dicitur ibi nata, a capra tangi possit.

VARRO, *R. R.* i. 2.

[1] V. l. *quod damnosa.*

SIEGE OF JERUSALEM BY TITUS, A.D. 70.

257. Evenerant prodigia, quae neque hostiis neque votis piare fas habet gens superstitioni obnoxia, religionibus adversa. Visae per caelum concurrere acies, rutilantia arma, et subito nubium igne conlucere templum. Expassae repente delubri fores, et audita maior humana vox *Excedere deos*: simul ingens motus excedentium. Quae pauci in metum trahebant: pluribus persuasio inerat, antiquis sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore ut valesceret Oriens, profectique Iudaea rerum potirentur.—Tac. *Hist.* v. 13.

SOME ACCOUNT OF THE PSYLLI, A PEOPLE OF AFRICA, SAID TO BE SERPENT-PROOF.

258. Vix miseris serum tanto lassata periclo
auxilium Fortuna dedit. Gens unica terras
incolit a saevo serpentum innoxia morsu,
Marmaridae Psylli: par lingua potentibus herbis:
ipse cruor tutus, nullumque admittere virus,
vel cantu cessante, potest. Natura locorum
iussit, ut immunes mixti serpentibus essent.
Profuit in mediis sedem posuisse venenis.
Pax illis cum morte data est. Fiducia tanta est
sanguinis: in terram parvus cum decidit infans,
ne qua sit externae Veneris mixtura timentes,
letifera dubios explorant aspide partus.
Utque Jovis volucer, calido cum protulit ovo

implumes natos, solis convertit in ortus:
qui potuere pati radios, et lumine recto
sustinuere diem, caeli servantur in usus;
qui Phoebo cessere, iacent: sic pignora gentis
Psyllus habet, si quis tactos non horruit angues,
si quis donatis lusit serpentibus infans.
nec solum gens illa sua contenta salute:
excubat hospitibus, contraque nocentia monstra
Psyllus adest populis. Qui tunc Romana secutus
signa, simul iussit statui tentoria ductor,
primum quas valli spatium comprendit harenas
expurgat cantu verbisque fugantibus angues:
ultima castrorum medicatus circuit ignis.
Hic ebulum stridet, peregrinaque galbana sudant,
et tamarix non laeta comis, Eoaque costus,
et panacea potens, et Thessala centaurea.

Lucan. ix. 890.

*CICERO TO ATTICUS, IN REFERENCE TO THE DOINGS OF P. *CLODIUS, B.C.* 59.

259. De *Publio quae ad me scribis sane mihi iucunda sunt, eaque etiam velim omnibus vestigiis indagata ad me afferas, quom venies; et interea scribas, si quid intelliges aut suspicabere, et maxime de legatione quid sit acturus. Equidem ante quam tuas legi litteras hominem ire cupiebam; non mehercule, ut differrem cum eo vadimonium (nam mira sum alacritate ad litigandum); sed videbatur mihi, si quid esset in eo populare, quod plebeius factus

esset, id amissurus. Quid enim ad plebem transisti? ut Tigranem ires salutatum? Narra mihi: reges Armenii patricios salutare non solent? Quid quaeris? acueram me ad exagitandam hanc eius legationem. Quam si ille contemnit, et, si, ut scribis, bilem id commovet et latoribus et auspicibus legis curiatae, spectaculum egregium. Hercule, verum ut loquamur, subcontumeliose tractatur noster Publius: primum, qui, quom in domo Caesaris quondam unus vir fuerit, nunc ne in viginti quidem esse potuerit: deinde, alia legatio dicta erat, alia data est: illa opima ad exigendas pecunias Druso, ut opinor, Pisaurensi (an epuloni Vatinio?) reservatur: haec ieiuna tabellarii legatio datur ei, cuius tribunatus ad istorum tempora reservatur.—Cicero, *ad Att.* ii. 7.

ROMANI, RERUM DOMINI.

260. Quae ante conditam condendamve urbem pöeticis magis decora fabulis quam incorruptis rerum gestarum monumentis traduntur, ea nec affirmare nec refellere in animo est: datur haec venia antiquitati ut, miscendo humana divinis, primordia urbium angustiora faciat. Et si cui populo licere oportet consecrare origines suas et ad deos referre auctores, ea belli gloria est populo Romano, ut, cum suum conditorisque sui parentem Martem potissimum ferat, tam et hoc gentes humanae patiantur aequo animo quam imperium patiantur. Sed haec et his similia, utcunque animadversa aut existumata erunt, haud in magno equidem ponam discrimine: ad illa mihi pro se quisque acriter intendat animum, quae

vita, qui mores fuerint; per quos viros, quibusque artibus, domi militiaeque, et partum et auctum imperium sit. Labente deinde paulatim disciplina, velut desidentes primo mores sequatur animo ; deinde ut magis magisque lapsi sint, tum ire coeperint praecipites, donec ad haec tempora, quibus nec vitia nostra nec remedia pati possumus, perventum est. Hoc illud est praecipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri ; inde tibi tuaeque reipublicae quod imitere capias : inde foedum inceptu, foedum exitu, quod vites. Ceterum aut me amor negotii suscepti fallit, aut nulla unquam respublica nec maior nec sanctior nec bonis exemplis ditior fuit ; nec in quam civitatem tam serae avaritia luxuriaque immigraverint, nec ubi tantus ac tam diu paupertati ac parsimoniae honos fuerit ; adeo, quanto rerum minus, tanto minus cupiditatis erat.

LIV. *Praef.*

VARIOUS ROMAN THEATRES.

261. Cavea ipsa cepit hominum lxxx milia, cum Pompeiani theatri toties multiplicata urbe tantoque maiore populo sufficiat large xl milibus. Sed et reliquus apparatus, tantus Attalica veste, tabulis pictis, ceteroque choragio fuit ut in Tusculanam villam reportatis quae superfluebant quotidiani usus deliciis, incensa villa ab iratis servis, concremaretur ad H.S. milies.

Aufert animum et a destinato itinere digredi cogit contemplatio tam prodigae mentis, aliamque

conecti maiorem insaniam e ligno: C. Curio, qui bello civili in Caesarianis partibus obiit, funebri patris munere, cum opibus apparatuque non posset superare Scaurum,—unde enim illi vitricus Sulla, et Metella mater proscriptionum sectrix? unde M. Scaurus pater, totiens princeps civitatis, et Marianis sodaliciis rapinarum provincialium sinus?—cum iam ne ipse quidem Scaurus comparari sibi posset, quando hoc certe incendii illius praemium habuit, convectis ex orbe terrarum rebus ut nemo postea par esset insaniae illi. Ingenio ergo utendum fuit: operae pretium est scire quid invenerit et gaudere moribus nostris ac nostro modo nos vocare maiores. Theatra duo iuxta fecit amplissima e ligno, cardinum singulorum versatili suspensa libramento, in quibus utrisque antemeridiano ludorum spectaculo edito inter se aversis, ne invicem obstreperent scaenae, repente circumactis ut contra starent, postremo iam die discedentibus tabulis et cornibus in se coëuntibus faciebat amphitheatrum, et gladiatorum spectacula edebat, ipsum magis auctoratum populum Romanum circumferens.—Plin. *H. N.* xxxvi. 24.

ATTIS.—QUANTUM MUTATUS!

262. Roseis ut huic labellis palans sonitus abiit,
geminas deorum ad aures nova nuntia referens,
ibi iuncta iuga resolvens Cybele leonibus,
laevumque pecoris hostem stimulans, ita loquitur:
Agedum, inquit, age ferox, i: face ut hinc furoribus,

face ut hinc furoris ictu reditum in nemora ferat,
mea libere nimis qui fugere imperia cupit.
age, caede terga cauda: tua verba patere:
face cuncta mugienti fremitu loca retonent:
rutilam ferox torosa cervice quate iubam.
Ait haec minax Cybelle, religatque iuga manu.
ferus, ipse sese adhortans, rapidum incitat animum:
vadit, fremit, refringit virgulta pede vago,
At ubi ultima albicantis loca litoris adiit,
tenerumque vidit Attin prope marmora pelagi,
facit impetum. Ille demens fugit in nemora fera;
ibi semper omne vitae spatium famula fuit.

CATULLUS, lxiii. 74.

SIEGE OF AVARICUM BY G. IUL. CAESAR, B.C. 52.

263. Singulari militum nostrorum virtuti consilia cuiusque modi Gallorum occurrebant, ut est summae genus sollertiae atque ad omnia imitanda et efficienda quae ab quoque tradantur aptissimum. Nam et laqueis falces avertebant, quas cum destinaverant tormentis introrsus reducebant; et aggerem cuniculis subtrahebant, eo scientius quod apud eos magnae sunt ferrariae, atque omne genus cuniculorum notum atque usitatum est. Totum autem murum ex omni parte turribus contabulaverant atque has coriis intexerant. Tum crebris diurnis nocturnisque eruptionibus aut aggeri ignem inferebant, aut milites

occupatos in opere adoriebantur; et nostrarum turrium altitudinem, quantum has cotidianas agger expresserat, commissis suarum turrium malis adaequabant; et apertos cuniculos praeusta et praeacuta materia et pice fervefacta et maximi ponderis saxis morabantur moenibusque adpropinquare prohibebant.—CAES. *B. G.* vii. 22.

THE DEATH OF G. IUL. CAESAR.—IUPPITER CONSOLES VENUS.

264. Non tamen insidias venturaque vincere fata
praemonitus potuere deum, strictique feruntur
in templum gladii, neque enim locus ullus in Urbe
ad facinus diramque placet, nisi Curia, caedem.
tum vero Cytherea manu percussit utraque
pectus, et aetherea molitur condere nube
qua prius infesto [1] Paris est ereptus Atridae,
et [2] Diomedeos Aeneas fugerat enses.
Talibus hanc genitor: Sola insuperabile fatum,
nata, movere paras? intres licet ipsa Sororum
tecta trium, cernes illic molimine vasto
ex aere, et solido rerum tabularia ferro,
quae neque concursum caeli neque fulminis iram
nec metuunt ullas tuta atque aeterna ruinas:
invenies illic inclusa adamante perenni
fata tui generis: legi ipse animoque notavi,
et referam, ne sis etiamnum ignara futuri.

[1] Homer, *Iliad*, iii. 380 *seqq.*
[2] *Ib.* v. 432 *seqq.*

hic sua complevit, pro quo, Cytherea, laboras,
tempora, perfectis, quos terrae debuit, annis.
ut deus accedat caelo templisque colatur,
tu facies, natusque suus: qui, nominis heres,
impositum feret Urbis onus, caesique parentis
nos in bella suos fortissimus ultor habebit:
illius auspiciis obsessae moenia pacem
victa petent Mutinae, Pharsalia sentiet illum,
Emathiaque iterum madefacti caede Philippi,
et magnum Siculis nomen superabitur undis.

Ov. *Met.* xv. 799.

QUO SPECTET FABULA NOSTRA VIDE.

265. Si quisquamst qui placere se studeat bonis
quam plurimis, et minime multos laedere,
in his poëta hic nomen profitetur suum.
Tum si quis est, qui dictum in se inclementius
existimavit esse, sic existimet,
responsum, non dictum esse, quia laesit prior:
qui bene vertendo, et easdem scribendo male, ex
Graecis bonis Latinas fecit non bonas.
Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit,
atque in Thesauro scripsit, causam dicere
prius unde petitur, aurum quare sit suum,
quam ille qui petit, unde is sit thesaurus sibi:
aut unde in patrium monumentum pervenerit.
Dehinc, ne frustretur ipse se, aut sic cogitet:
defunctus iam sum, nihil est quod dicat mihi:
is ne erret, moneo, et desinat lacessere.
Habeo alia multa quae nunc condonabitur,

quae proferentur post, si perget laedere,
ita ut facere instituit. Quam nunc acturi sumus
Menandri Eunuchum, postquam Aediles emerunt,
perfecit sibi ut inspiciundi esset copia,
magistratus quom ibi adesset, occeptast agi.
Exclamat furem, non poëtam, fabulam
dedisse, et nil dedisse verborum tamen:
Colacem esse Naevi, et Plauti veterem fabulam,
parasiti personam inde ablatam et militis.
Si id est peccatum, peccatum imprudentiast
pöetae, non quo furtum facere studuerit.

Ter. *Eunuch.* Prol.

THE MODEL ORATOR.

266. Atque ego in summo oratore fingendo talem informabo qualis fortasse nemo fuit. Non enim quaero quis fuerit, sed quid sit illud quo nihil possit esse praestantius, quod in perpetuitate dicendi non saepe, atque haud scio an nunquam, in aliqua autem parte eluceat aliquando, idem apud alios densius, apud alios fortasse rarius. Sed ego sic statuo, nihil esse in ullo genere tam pulcrum quo non pulcrius id sit unde illud, ut ex ore aliquo, quasi imago, exprimatur, quod neque oculis, neque auribus, neque ullo sensu percipi potest, cogitatione tantum et mente complectimur. Itaque et Phidiae simulacris, quibus nihil in illo genere perfectius videmus, et his picturis, quas nominavi, cogitare tamen possumus pulcriora. Nec vero ille artifex, cum faceret

Iovis formam aut Minervae, contemplabatur aliquem e quo similitudinem duceret, sed ipsius in mente insidebat species pulcritudinis eximia quaedam, quam intuens in eaque defixus ad illius similitudinem artem et manum dirigebat. Ut igitur in formis et figuris est aliquid perfectum et excellens cuius ad cogitatam speciem imitando referuntur ea quae sub oculos ipsa cadunt, sic perfectae eloquentiae speciem animo videmus, effigiem auribus quaerimus. Has rerum formas appellat ideas ille non intelligendi solum sed etiam dicendi gravissimus auctor et magister Plato, easque gigni negat et ait semper esse ac ratione et intelligentia contineri; cetera nasci, occidere, fluere, labi, nec diutius esse uno et eodem statu.—CICERO, *Orator*, ii. 7.

HOW CICERO SUPERINTENDED THE ALTERATIONS ON HIS BROTHER'S ESTATE.

267. Fundum audio te hunc Bovillanum velle retinere: de eo quid videatur, ipse constitues. Calvus aiebat, aqua dempta, et eius aquae iure constituto, et servitute fundo illi imposita, tamen nos pretium servare posse, si vendere vellemus. Messidium mecum habui: is se ternis nummis in pedem tecum transegisse dicebat: sese autem mensum pedibus aiebat passuum IV CIC; mihi plus visum est. Sed praestabo, sumptum nusquam melius posse poni. Chilonem arcessieram Venafro. Sed eo ipso die quattuor eius conservos et discipulos Venafri cuniculus oppresserat. Idibus Sept. in Laterio fui. Viam perspexi, quae mihi ita placuit, ut opus pub-

licum videretur esse; praeter CL pass: sum enim ipse mensus ab eo ponticulo, qui est ad Furinae, Satricum versus. Eo loco pulvis, non glarea iniecta est, et mutabitur; et ea viae pars valde acclivis est. Sed intellexi aliter duci non potuisse, praesertim quom tu neque per Locustae, neque per Varronis velles ducere.

* * * * * *

Topiarium laudavi; ita omnia convestit hedera, qua basim villae, qua intercolumnia ambulationis; ut denique illi palliati topiariam facere videantur, et hederam vendere. Jam ἀποδυτηρίῳ nihil alsius, nihil muscosius. Habes fere de rebus rusticis. Urbanam expolitionem urget illam quidem et Philotimus et Cincius; sed etiam ipse crebro interviso, quod est facile factu. Quamobrem ea te cura liberatum volo.—CICERO, *ad Q. F.* iii. 1, 2.

PLINY TO GALLUS. DESCRIPTION OF THE LACUS VADIMONIS.

268. Lacus est in similitudinem iacentis rotae circumscriptus, et undique aequalis: nullus sinus, obliquitas nulla, omnia dimensa, paria, et, quasi artificis manu, cavata et excisa. Color caerulo albidior viridior et pressior, sulphuris odor saporque medicatus, vis qua fracta solidantur. Spatium modicum, quod tamen sentiat ventos et fluctibus intumescat. Nulla in hoc navis, sacer enim, sed innatant insulae, herbidae omnes, arundine et iunco tectae, quaeque alia fecundior palus ipsaque illa extremitas lacus effert. Sua cuique figura, ut modus:

cunctis margo derasus, qui frequenter vel litori vel sibi inlisae terunt teruntur que. Par omnibus altitudo, par levitas; quippe in speciem carinae humili radice descendunt. Haec ab omni latere perspicitur eademque pariter suspensa et mersa. Interdum iunctae copulataeque et continenti similes sunt, interdum discordantibus ventis digeruntur, non numquam destitutae tranquillitate singulae fluitant. Saepe minores maioribus, velut cumbulae onerariis, adhaerescunt; saepe inter se maiores minoresque quasi cursum certamenque desumunt; rursus omnes in eundem locum adpulsae, qua steterunt promovent terram, et modo hac modo illac lacum reddunt auferuntque: ac tum demum, cum medium tenuere, non contrahunt. Constat pecora herbas secuta sic in insulas illas ut in extremam ripam procedere solere nec prius intellegere mobile solum, quam litori abrepta quasi inlata et imposita circumfusum undique lacum paveant; mox quo tulerit ventus egressa, non magis se descendisse sentire quam senserint ascendisse. Idem lacus in flumen egeritur, quod, ubi se paulisper oculis dedit, specu mergitur alteque conditum meat, ac si quid, ante quam subduceretur, accepit, servat et profert. Haec tibi scripsi, quia nec minus ignota quam mihi nec minus grata credebam: nam te quoque, ut me, nihil aeque ac naturae opera delectant. Vale.—PLIN. *Ep.* viii. 20.

OVID TO HIS BOOK.

269. Cum tamen in nostrum fueris penetrale receptus,
contigerisque tuam, scrinia curva, domum:

aspicies illic positos ex ordine fratres,
quos studium cunctos evigilavit idem.
cetera turba palam titulos ostendet apertos,
et sua detecta nomina fronte geret.
tres procul obscura latitantes parte videbis
si quoque: quod nemo nescit, amare docent.
hos tu vel fugias, vel, si satis oris habebis,
Oedipodas facito Telegonosque voces.
deque tribus, moneo, si qua est tibi cura parentis,
ne quemquam, quamvis ipse docebit, ames.
sunt quoque mutatae ter quinque volumina formae,
nuper ab exequiis carmina rapta meis.
his mando dicas, inter mutata referri
fortunae vultum corpora posse meae.
namque ea dissimilis subito est effecta priori,
flendaque nunc, aliquo tempore laeta fuit.
plura quidem mandare tibi, si quaeris, habebam;
sed vereor tardae causa fuisse morae.

Ov. *Trist.* ii. 1. 105.

'*DUCKS AND DRAKES*' *AT OSTIA, A.D.* 226 (?).

270. Cum hoc sermone medium spatium emensi iam liberum littus tenebamus. Ibi harenas extimas, velut sterneret ambulacro, perfundens lenis unda tendebat; et ut semper mare etiam positis flatibus inquietum est, etsi non canis spumosisque fluctibus exibat ad terram, tamen crispis torosisque. Ibidem erroribus delectati perquam sumus, cum in ipso aequoris limine plantas tingeremus, quod vicissim nunc adpulsum nostris pedibus adluderet fluctus, nunc relabens ac vestigia retrahens in sese resorberet.

Sensim itaque tranquilleque progressi, oram curvi molliter littoris, iter fabulis fallentibus, legebamus. Sed ubi eundi spatium satis iustum cum sermone consumpsimus, eandem emensi viam rursus versis vestigiis terebamus. Et cum ad id loci ventum est ubi subductae naviculae, substratis roboribus, a terrena labe suspensae quiescebant, pueros videmus certatim gestientes testarum in mare iaculationibus ludere. Is lusus est: testam teretem, iactatione fluctuum levigatam, legere de litore: eam testam plano situ digitis comprehensam, inclinem ipsum atque humilem, quantum potest super undas inrotare, ut illud iaculum vel dorsum maris raderet, enataret, dum leni impetu labitur, vel summis fluctibus tonsis emicaret, emergeret, dum assiduo saltu sublevatur. Is se in pueris victorem ferebat, cuius testa et procurreret longius et frequentius exsiliret.—Minucius Felix, *Oct.* iii.

OVID LIKES THE TIMES IN WHICH HE LIVES.

271. Simplicitas rudis ante fuit: nunc aurea Roma
edomiti magnas possidet orbis opes.
adspice quae nunc sunt Capitolia, quaeque fuerunt;
alterius dicas illa fuisse Iovis.
curia concilio quae nunc dignissima tanto est,
de stipula, Tatio regna tenente, fuit:
quae nunc sub Phoebo ducibusque palatia fulgent,
quid, nisi araturis pascua bubus, erant?

prisca iuvent alios, ego me nunc denique natum
gratulor : haec aetas moribus apta meis.
non quia nunc terrae lentum subducitur aurum,
lectaque diverso littore concha venit,
nec quia decrescunt effosso marmore montes,
nec quia caeruleae mole fugantur aquae,
sed quia cultus adest, nec nostros mansit in annos
rusticitas, priscis illa superstes avis,
vos quoque non caris aures onerate lapillis,
quos legit in viridi discolor Indus aqua,
nec prodite graves insuto vestibus auro,
per quas non petitis, saepe fugatis, opes :
munditiis capimur : non sint sine lege capilli,
admotae formam dantque negantque manus.

Ov. *A. A.* iii. 113.

CLIENTS MUST LIVE.

272. Centum miselli iam valete quadrantes,
anteambulonis congiarium lassi,
quos dividebat balneator elixus.
Quid cogitatis, o fames amicorum?
regis superbi sportulae recesserunt.
nihil stropharum est: iam salarium dandum est.

Martial iii. 7.

VITALITY OF THE ANIMAL FRAME.

273. Falciferos memorant currus abscidere membra
saepe ita de subito permixta caede calentis,

ut tremere in terra videatur ab artubus id quod
decidit abscisum, cum mens tamen atque hominis vis
mobilitate mali non quit sentire dolorem :
et semel in pugnae studio quod dedita mens est,
corpore reliqüo pugnam caedesque petessit,
nec tenet amissam laevam cum tegmine saepe
inter equos abstraxe rotas falcesque rapaces,
nec cecidisse alius dextram, cum scandit et instat.
Inde alius conatur adempto surgere crure,
cum digitos agitat propter moribundus humi pes.
et caput abscisum calido viventeque trunco
servat humi voltum vitalem oculosque patentis,
donec reliquias animai reddidit omnes.
Quinetiam tibi si, lingua vibrante, micanti
serpentis cauda, e procero corpore, utrumque
sit libitum in multas partis discidere ferro,
omnia iam sorsum cernes ancisa recenti
volnere tortari et terram conspargere tabo,
ipsam seque retro partem petere ore priorem,
volneris ardenti ut morsu premat icta dolorem.

Lucr. iii. 642.

WHICH KIND OF ORATORY IS MOST DESIRABLE?

274. Ut, si quis Falerno vino delectetur, sed eo nec ita novo, ut proximis consulibus natum velit, nec rursus ita vetere, ut Opimium aut Anicium consulem

quaerat: (atqui hae notae sunt optimae; credo: sed nimia vetustas nec habet eam, quam quaerimus, suavitatem, nec est iam sane tolerabilis. Num igitur, qui hoc sentiat, si is potare velit, de dolio sibi hauriendum putet? Minime; sed quamdam sequatur aetatem): sic ego istis censuerim et novam istam quasi de musto ac lacu fervidam orationem fugiendam nec illam praeclaram Thucydidis nimis veterem tamquam Anicianam notam presequendam. Ipse enim Thucydides si posterius fuisset, multo maturior fuisset et mitior. Demosthenem igitur imitemur. O Dii boni! quid, quaeso, nos aliud agimus aut quid aliud optamus? At non assequimur.—Isti enim videlicet Attici nostri, quod volunt, assequuntur. Ne illud quidem intelligunt, non modo ita memoriae proditum esse, sed ita necesse fuisse, quom Demosthenes dicturus esset, ut concursus, audiendi caussa, ex tota Graecia fierent. At quom isti Attici dicunt, non modo a corona, quod est ipsum miserabile, sed etiam ab advocatis relinquuntur. Quare si anguste et exiliter dicere est Atticorum, sint sane Attici; sed in comitium veniant, ad stantem iudicem dicant. Subsellia grandiorem et pleniorem vocem desiderant.

CICERO, *Brutus*, 83, 287.

MARTIAL BEGS PARTHENIUS TO PRESENT HIS BOOK TO DOMITIAN.

275. Si non est grave, nec nimis molestum,
Musae, Parthenium rogate vestrum:
sic te serior et beata quondam
salvo Caesare finiat senectus,

et sis invidia favente felix ;
sic Burrus cito sentiat parentem ;
admittas timidam brevemque chartam
intra limina sanctioris aulae.
Nosti tempora tu Iovis sereni,
cum fulget placidus, suoque vultu,
quo nil supplicibus solet negare.
Non est, quod metuas preces iniquas :
nunquam grandia, nec molesta poscit,
quae cedro decorata purpuraque
nigris pagina crevit umbilicis.
Nec porrexeris ista, sed teneto
sic tanquam nihil offeras agasque.
Si novi dominum novem sororum,
ultro purpureum petet libellum.

MARTIAL, v. 6.

ON THE ACCOMPLISHMENTS NECESSARY FOR AN ADVOCATE.

276. Tum autem quod amore patriae censes nos nostrorum maiorum inventa nosse debere, non vides veteres leges aut ipsa sua vetustate consenuisse, aut novis legibus esse sublatas? Quod vero viros bonos iure civili fieri putas, quia legibus et praemia proposita sint virtutibus et supplicia vitiis, equidem putabam virtutem hominibus (si modo tradi ratione possit) instituendo et persuadendo, non minis, et vi, ac metu tradi. Nam ipsum quidem illud, etiam sine cognitione iuris, quam sit bellum cavere malum scire possumus. De me autem ipso, cui uni tu concedis, ut, sine ulla iuris scientia, tamen causis satis-

facere possim, tibi hoc, Crasse, respondeo, neque me umquam ius civile didicisse, neque tamen in iis causis, quas in iure possem defendere, umquam istam scientiam desiderasse. Aliud est enim esse artificem cuiusdam generis atque artis, aliud in communi vita et volgari hominum consuetudine nec hebetem nec rudem. Cui nostrum non licet fundos nostros obire, aut res rusticas vel fructus causa vel delectationis invisere? tamen nemo tam sine oculis, tam sine mente vivit, ut, quid sit sementis ac messis, quid arborum putatio ac vitium, quo tempore anni, aut quo modo ea fiant, omnino nesciat. Num igitur, si cui fundus inspiciendus, aut si mandandum aliquid procuratori de agricultura, aut imperandum villico sit, Magonis Carthaginiensis sunt libri perdiscendi? an hac communi intelligentia contenti esse possumus? Cur ergo non iidem in iure civili, praesertim, cum in causis, et in negotiis, et in foro conteramur, satis instructi esse possumus ad hoc dumtaxat, ne in nostra patria peregrini atque advenae esse videamur? Ac si iam sit causa aliqua ad nos delata obscurior, difficile, credo, sit, cum hoc Scaevola communicare; quamquam ipsi omnia, quorum negotium est, consulta ad nos et exquisita deferunt. An vero si de re ipsa, si de finibus, cum in rem praesentem non venimus, si de tabulis et perscriptionibus controversia est, contortas res et saepe difficiles necessario perdiscimus: si leges nobis, aut si hominum peritorum responsa cognoscenda sunt, veremur, ne ea, si ab adolescentia iuri civili minus studuerimus, non queamus cognoscere.—CICERO, *De Orat.* i. 58, 247.

SERPENT-WOUNDS.

277. At tibi, Leve miser, fixus praecordia pressit
Niliaca serpente cruor: nulloque dolore
testatus morsus subita caligine mortem
accipis, et Stygias somno descendis ad umbras.
Non tam veloci corrumpunt pocula leto,
stipite quae diro virgas mentita Sabinas
toxica fatilegi carpunt matura Sabaei.
Ecce procul saevus sterilis se robore trunci
torsit, et immisit (Iaculum vocat Africa) serpens:
perque caput Pauli transactaque tempora fugit:
nil ibi virus agit: rapuit cum vulnere fatum.
Deprensum est, quae funda rotat, quam lenta volarent,
quam segnis Scythicae strideret arundinis aër.
Quid prodest miseri Basiliscus cuspide Murri
transactus? velox currit per tela venenum,
invaditque manum: quam protinus ille retecto
ense ferit, totoque simul demittit ab armo:
exemplarque sui spectans miserabile leti
stat tutus pereunte manu. Quis fata putaret
Scorpion, aut vires maturae mortis habere?

Lucan, ix. 815.

CURIOUS SYMPATHY OF VARIOUS OBJECTS IN NATURE WITH THE MOON.

278. Luna, inquit Annianus, nunc videlicet senescit: ea re ostrea quoque, sicuti quaedam alia,

tenuis exsuctaque est. Quom quaereremus, quae alia item senescente luna tabescerent: Nonne Lucilium, inquit, nostrum meministis dicere?

Luna alit ostrea et implet echinos, muribus fibras, et pecui addit.

Eadem autem ipsa, quae crescente luna gliscunt, deficiente contra luna defiunt. Aelurorum quoque oculi ad easdem vices lunae aut ampliores fiunt aut minores. Id etiam, inquit, multo mirandum est magis, quod apud Plutarchum in quarto in Hesiodum commentario legi; caepe tum revirescit, et congerminat decedente luna, contra autem inarescit adolescente. Eam causam esse dicunt sacerdotes Aegyptii, cur Pelusiotae caepe non edunt: quia solum olerum omnium contra lunae aucta atque damna vices minuendi et augendi habeat contrarias.

Aul. Gell. xx. 8.

DELIGHT IN ROME AT THE DEATH OF TIGELLINUS.

279. Par inde exsultatio disparibus causis consecuta, inpetrato Tigellini exitio. Sophonius Tigellinus, obscuris parentibus, foeda pueritia, inpudica senecta, praefecturam vigilum et praetorii et alia praemia virtutum quia velocius erat vitiis adeptus, crudelitatem mox, deinde avaritiam et virilia scelera exercuit, corrupto ad omne facinus Nerone; quaedam ignaro ausus, ac postremo eiusdem desertor ac proditor. Unde non alium pertinacius ad poenam flagitavere, diverso adfectu, quibus odium Neronis inerat, et quibus desiderium. Apud Galbam T.

Vinii potentia defensus, praetexentis servatam ab eo filiam; et haud dubie servaverat, non clementia, quippe tot interfectis, sed effugio in futurum; quia pessimus quisque, diffidentia praesentium mutationem pavens, adversus publicum odium privatam gratiam praeparat; unde nulla innocentiae cura, sed vices inpunitatis. Eo infensior populus, addita ad vetus Tigellini odium recenti T. Vinii invidia: concurrere e tota urbe in palatium ac fora, et, ubi plurima vulgi licentia, in circum ac theatra effusi, seditiosis vocibus obstrepere: donec Tigellinus, accepto apud Sinuessanas aquas supremae necessitatis nuntio, inter deformes moras, sectis novacula faucibus, infamem vitam foedavit etiam exitu sero et inhonesto.

Tac. *Hist.* i. 72.

ON A CRYSTAL.

280. Adspice porrectam splendenti fragmine venam
qua trahitur limes lucidiore gelu.
hic nullum Boream nec brumam sentit opacus
umor, sed varias itque reditque vias.
non illum constrinxit hiemps, non Sirius ardens:
aetatis spatium non tenuavit edax.

Claudianus, *Epigr.* 9.

LONDON: PRINTED BY
SPOTTISWOODE AND CO., NEW-STREET SQUARE
AND PARLIAMENT STREET

An ABRIDGMENT

T
in tw
Notes

The t

An A

A BR

An Al

A CH

ELEM

The SP
of
N

nd
s of
n of

TS.

AN